DISSERTATIO
DE
DUELLO

Quam
DIVINI NUMINIS ASPIRANTE GRATIA
SUB PRÆSIDIO
Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Conſultiſſimi
VIRI,
DN. WILHELMI LUDWELL,
JCTI ET ANTECESSORIS IN HAC
ACADEMIA PRIMARII,
Sereniſſimi Principis Palatini & Reip. Noribergenſis Conſiliarij graviſſimi,
Præceptoris & Hoſpitis ſui æternùm venerandi,
ad diem V. Maij
PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT
CAIUS Rumohr/
EQUES HOLSAT.

ALTORPHI
Anno cIɔ Iɔc LVIII.
Literis GEORGI HAGEN, Univerſitatis Typographi.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

GENEROSISSIMÆ DOMINÆ,

DOROTHEÆ ab ALEFELDT,

Hæreditariæ in

Schinckel/

Amitæ ſuæ omni obſervantiæ cultu proſequendæ,

S. P. D.

CAJUS Rumohr.

CUm abhinc quatuor & quod excurrit annis patriâ exeunti Tecum impræſentiarum colloquendi, meq; tibi de meliori notâ commendandi facultas non eſſet; nihil ex eo mihi antiquius fuit, quàm per literas intermiſſum hoc officii genus compenſare. Sed neſcio quis hactenus, ingenuus dixerim an ſubruſticus, obſtitit pudor, quò minùs tantillum audaciæ ſumſerim, debitumq; ſcribendi munus fuerim executus. Tandem verò cùm ruptâ verecundiæ lege hoc, quicquid eſt, publici facere juris auſus eſſem, rectè atque ordine facturum me putavi, ſi idipſum Nomini tuo inſcriberem & pari operâ ſcriptionis negligentiam quodammodò reſarcirem. Et ſanè, ſi arctiorem, quo jungimur, conſanguinitatis nexum, ſi innumera non à Te ſolùm ſed & Generoſiſſimo Filio in totam familiam noſtram collata beneficia, ſi raram ingenii maturitatem, etiam ſexus captum ſupergreſſam, ſi edecumatam eruditionem, quâ magnis noſtri ævi viris ſi non ſuperior, certè æqualis es, cæteraſq; virtutes (quas omnes religioſo potiùs ſilentio venerabor, quàm ut paupertinâ vitio linguæ illis quicquam detraham) mecum expendo; nemo eſt, cui hunc ingenioli foetum lubentiùs & meliori jure donem dedicemq;. Levidenſe, fateor, munus eſt; &, ſi tua tantùm quid amplitudo poſtulat reputaſſem; nunquam illuſtre Nomen tuum rebus tàm exiguis impartiri fas mihi fuiſſet. Verumenimverò quantò majora meretur excellens animus, tantò benigniùs modica interpretatur. Hinc ſpe firmâ ſum, ob inſignem omniumq; ore deprædicatam Humanitatem minimè permiſſuram Te, quin haſce pagellas in perpetui obſequii teſtimonium fronte accipias ſerenâ & lectione, ſi quando à ſeriis vacabit, digneris; quodſi impetravero, videbor equidem votis eſſe damnatus. Deſino igitur & divinum Numen ex intimis ſenſibus veneror atq; obteſtor, ut Te, grande Patriæ familiæq; lumen, quàm diutiſſimè vigentem florentemq; mortalium cætibus intereſſe patiatur. Ita vale ex animi ſententiâ, meq;, inter virtutum tuarum cultores gradu ac cenſu pluribus imparem, ſtudiis & affectu vix cuiquam ſecundum, commendatum habe. Dab. Altorphi. Noric. V. Non. Majas. anno N. C. cIɔ Iɔ CLVIII.

I. N. C.

DISSERTATIO DE DUELLO.

THESIS I.

ACturi de duello, quantum ad diſputandi morẽ modumq; ſatis eſt, ne vagâ methodo Lectoris attentionem fatigemus neu noſtrum ipſi laborem duplicemus; hunc ordinem ſequemur, ut propoſitâ ejus qualicunq; deſcriptione, duelli varias ſpecies afferamus & de ſingularum juſtitiâ vel injuſtitiâ aliquantò uberiùs agamus; tùm quædam, quæ ad duellandi modum veteribus uſurpatum ſpectant, ſubjiciamus & omnia pro ingenii facultate uno alteroq; exemplo aut declaremus aut certè illuſtremus.

II.

Duellum, ſicut & ipſa nominis ratio innuit, definimus *æquale certamen armorum inter duos hoſtili animo initum.* Alii aliter: quos omnes rejicit *Bocerus de bell. & duell. lib. 2. c. 1. n. 4. & ſeqq.* Nos neq; ipſius definitionem probare poſſumus, quam habet *d. l. n. 1.* noſtram verò rectè conſtare opinamur; quòd neq; latiorem neq; anguſtiorem eam definito eſſe cenſemus. Etſi autem antiquitùs duellum pro bello uſurpatum legimus, uti apparet ex *Livii* verbis *lib. 1. c. 32. circ. fin.* ibi: *puro pioq; duello quærendas cenſeo.* & illo *Horatii lib. 1. epiſtol. 2.*

Græcia Barbariæ lento colliſa duello.
& lib. 2. epiſt. 2. in med.
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Fac. l. quos nos. 234. in pr. de V.S. tamen poſteà aliter vocis uſus invaluit; ut adeò jam bellū â duello differre videatur, nō ſolùm, quòd illud inter populos pacis obtinendæ causâ; hoc verò interdum etiam inter ſubditos & vel ſolâ oſtentatione virtutis aut virium ineatur: Sed quàm maximè, quòd pugna bellica inter duos exercitus ſit vel eorum partes, adeoq; ſemper inter plurimos; at duellum inter duos, qui æquis viribus valent aut ſe valere putant. *Vid.* P. *Gregor. Tholoſan. Syntagm. jur. lib. 48. c. 16. n. 1. & ſeqq.* Et quanquam interdum binos, ternos & plures numero pares; imò & ſingulos cum binis aut ternis duello pugnaſſe conſtat; quia tamen ejusmodi exempla rara ſunt, non admodum infringunt communem regulam. *arg. l. 3. & ſeqq. de LL.*

I I I.

Facilè autem apparet, excludi à nobis certamina ludicra; qualia olim apud Eleos Olympica, apud Argivos Nemeæa, apud Corynthios Iſthmica, Pythica apud Delphos fuerunt celebriora; quorum in tribus prioribus omni exercitationum corporis genere certatum; at in hoc etiam animi viribus inter Poëtas & Muſicos. *Vid. Pauſan. de florentiſſ. veter. Græc. region. lib. 2. in Corinth. lib. 5. & 6. in Eliac. lib. 10. in Phocic.* Hujus notæ eſt nobile Tragædorum Sophoclis & Æſchyli apud Athenienſes certamen, in quo Cimon Miltiadis F. cum novem Collegis (ex quavis tribu unus) conſedit atq; judicavit. Fertur Sophocles adhuc juvenis viciſſe, & Æſchyles, ſe victum ægerrimè ferens, irato animo in Siciliam ibiq; fatis conceſſiſſe. *Vid. Plutarch. Vit. Parallel. tom. 2. in Cimone c. 17.*

I V.

Iſtiusmodi quoq; fuit illud Græcæ Latinæq; facundiæ Lugduni Gallorum à Caligulâ inſtitutum: quo ferunt victoribus præmia victos contuliſſe & laudes componere coactos: eos autem, qui maximè diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongiâ linguavè delere juſſos, niſi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluiſſent. *Sueton. in Caligul. c. 20.* Unde *Juvenalis Satyr. 1. circ. pr.*

Palleat,

Palleat, ut nudis preſſit qui calcibus anguem,
aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

Apud Germanos Henrico Aucupe auctore in torneamentis ſive haſtiludiis olim fieri conſueverunt à Nobilibus duellorum ſimulacra; quæ tamen hodiè ab aulis Pr. receſſerunt, non ſolùm quòd jam eorum aut nullus aut certè infrequens in bello ſit uſus, ſed potiùs quòd ejusmodi luſus cum magno læſionis periculo fuerit conjunctus. *Henr. Salmuth in notis ad Guid. Panciroll. lib. 2. cap. de Torneam. Adde Dn. Limn. lib. 6. jur. publ. c. 5. n. 132.* Teſtis tragica mors Henrici II. G. R. cui iſte ludus in luctum vertit. Nam cùm in nuptiis Sororis Sabaudo deſponſatæ haſtiludium celebraret, & uno alteroq; die decurriſſet ipſe palmari cum laude; eò glorioſior poſtea repetito tertiùm campo contra ſuorum preces cum prætorianæ cohortis Præfecto Mongomerio, galeâ præproperè non ſatis occluſâ, congreſſus, ab adverſæ haſtæ fragmento apertam bucculam irrumpente, transfixo dextro oculo exanimatus eſt. *Fam. Strada de bell. Belgic. decad. 1. lib. 1. ad ann. 1559.* Genus & tempus mortis à Lucâ Gaurico Mathematico prædictum, cùm uxor Medicæa futuri anxia eum ſuper viri ac filiorum fata conſuleret: *fore* nimirum, *ut in duello caderet, vulnere in oculo accepto*; quod irriſum à multis ac pro tempore neglectum, quaſi Regis conditio ſupra duelli aleam poſita eſſet. *Thuan. Hiſtor. lib. 22. in fin. vid. infr. theſ. 24.* Ipſe Mongomerius 15. annis pòſt innoxiam iſtam culpam capite luit, ut hinc inſigni exemplo omnes diſcerent, *ſolo caſu, non tantùm conſilio, nocentes effici, quicunq; vel imprudentes perniciem Principibus attulerint*: uti vult idem Autor *lib. 58.*

V.

Sanè Canones adeò haſtiludia improbarunt, ut, ſi quis fortè in iis ſit interfectus; occidens non modò pœnâ homicidii obnoxius ſit, ſed & occiſus ſepulturâ Eccleſiaſticâ careat. *cap. 1. & 2. extr. de torneament. ibiq; Andr. Vallenſ. n. 2.* Diverſum videtur jure civili conſtitutum; quippe quod lædentem extra omnem culpam ponit, etiam actione L. Aquiliæ ceſſante, modò ne cedentem percuſſerit: quoniam gloriæ & virtutis causâ, non injuriæ gratiâ videtur damnum datum. *l. quâ actione. 7. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Et ita obſervari, ait *Alciatus,* ut, quoties moribus civium ludus aliquis

 in urbe

in urbe admiſſus ſit, v. g. pugnorum Senis, lapidum Bononiæ, perticarum Laude Pompejâ; ſi quis occiſus fuerit, nullus pœnæ ſit locus. *de ſingular. certam. c. 3 in fin. Add. Luc. Floron. de prohibit. duelli c. 5. § 8. n. 5.* Satius eſt, periculoſa iſta exercitia non temerè in Rep. concedi. Minus periculi, at plus fortè delectationis habent munera ferarum aut gallinaceorum pugnacium: quos in hunc finem Indos, maximè Iavanos, magnâ curâ alere tradunt *Navigat. Indic. Batav. part. 1. ad ann. 1595.*

V I.

Duellum vel voluntarium eſt vel neceſſarium; quorum alterum evitare nolumus, alterum non poſſumus: utrumq; ex parte juſtum, ex parte injuſtum eſt. Voluntarium fit vel inter ſubditos vel Magiſtratus; & iſtos quidem vel unius vel diverſorum Magiſtratuum. Quod inter concives geritur, vel judiciale eſt vel extrajudiciale. Singula duellorum genera ordine perſequemur.

V I I.

Judiciale duellum eſt, quod judicis autoritate in cauſis controverſis admittitur ad indagandam veritatem. Id veteribus Germanis uſitatum teſtatur *Chriſtoph. Lehmann. Chronic. Spirenſ. lib. 2. c. 30.* ubi de proceſſu eorum ita habet: wer ſein unſchuld mit zeugen oder andern mitteln nicht erweiſen können oder wollen; der hat noch dieſen weg vor ſich gehabt/ daß er gegen dē Kläger durch einē öffentlichen kampff ſein unſchuld außfündig machen können. Probat etiam *Legis Alemann. c. 44. ap. Frider. Lindenbrog. in Codic. LL. Antiqq.* his verbis: *Si quis liber libero crimen aliquod mortale impoſuerit & ad Regem vel ducem eum accuſaverit, & inde probata res non eſt, niſi quòd ipſe dicit: liceat illi alii, cui crimen impoſuit, cum tractâ ſpathâ ſe indoneare contra illum alium.* Adde *cap. 84. ibid. & L. Bajuvar. tit. 16. c. 1. n. 2. 3. 4. & 6. & tit. 17. c. 2. L. Salic. c. 55. L. Ripuar. c. 30. & 32. n. 4. L. Friſion. tit. 5. n. 1. tit. 11. n. 3. tit. 14. n. 4. L. Longob. lib. 1. tit. 1. c. 7. tit. 3. c. fin. tit. 9. c. 23, 29, 35, 38. & 39. tit. 10. n. 4. tit. 16. c. 2. tit. 25. c. 76. tit. 32. c. 3. & lib. 2. tit. 56. c. 15, 34, 37. Capit. Francor. lib. 3. c. 46.* Facit, quod *Seb. Munſter.* ex jure Suevico affert: Hat man wider einen Dieb oder Straßenräuber keinen gezeugen/ können ſie mit ihrem eide nicht ledig werden: man ſoll ihnen 3. wahl fürlegen/ das heiß eiſen auff der hand zu tragen/ oder in ein heiswallen-

wallenden keſſel mit waſſer zugreiffen bis an den Ellenbogen oder mit tampff ſich zu wehren. *Coſmograph. lib. 5. c. 26. edit. noviſſ. Add. Alciat. d. l. c. 4.*

VIII.

Ita Otto I. Imp. nobilem illam quæſtionem, utrum nepotes ad ſucceſſionem avorum unà cum patruis admittendi ſint, ferro decidi voluit. *Vid. Lehman. d. l. lib. 5. c. 4.* vicitq; pars, quæ cauſam egit nepotum; quam & jus noſtrum approbat non in nepotibus ſolùm aut pronepotibus, ſed in reliquis quoq; deſcendentibus. *Ampliſſ. Dn. Præſ. Exercitat. Juſtinian. 10. th. 1. lit. K.* Idem Imp. cùm ſoror vidua Conradi Suevi à Cunone quodam, cùm morem illa gerere nollet, calumnioſè traduceretur, quaſi jam ſecum rem habuiſſet; per præconem pronunciari juſſit, *ſi quis ſororis innocentiam defendere voluiſſet, eum gratiâ ſe complexurum.* Fecit id Comes quidam Burchardus, qui Cunoni, calumnias ſuas ſumtâ ſacrâ Synaxi firmare auſo, coram Imperii Principibus primo congreſſu dextram abſcidit & falſimoniæ eum convicit. *Ditmar. in Chronic. lib. 2.* Patris veſtigia ſecutus Otto II. voluit, ut Comites Gero & Waldo cauſam ſuam gladio propugnarent cumq; Gero victus eſſet, & Waldo ex vulneribus mortuus; ſtatim decollari illum juſſit. *Id. lib. 3. Add. Annal. Saxon. ad ann. 979.* Item Henricus II. conjugem adulterii ream eâ lege condemnaſſe dicitur, niſi intra annum quis ejus innocentiam duello probaſſet; feciſſe illud Raimundus Berengarius Barcinonenſis Comes. *Luc. Marin. Sicul. de reb. Hiſpan. lib. 9.* quanquam alii ab ipsâ probationem peractam narrant innoxio candentis ferri contactu. *Annal. Saxon. ad ann. 1003.* Conradus II. Salicus, bello inter Saxones & Pomeranos gentiles exorto, cùm utraq; pars in alteram ruptæ pacis culpam conferret; probationem duello faciendam admiſit. Victi ſunt Saxones. *Joh. Micræl. in Pomeran. lib. 1. n. 51.*

IX.

Memorabile exemplum refert *Froſſardus*, à Sleidano in Epitomen contractus: *Evenit*, inquit, *in Galliâ, ut quidam genere nobilis è familiâ Comitis Alenconii per vim ſtupraret alterius cujusdam nobilis viri peregrè profecti uxorem; quæ ſimul atq; maritus revertiſſet, lacrymis oppleta commemorare vim ſibi factam. Ille crimen de-*

ferre ad Alenconium; alter negare factum pertinaciter. In quem cùm aliquantò eſſet propenſior etiam is, apud quem inſtituta fuit accuſatio; qui injuriam paſſus erat, ad Senatum Pariſienſem appellabat. Per annum & eò plus agitata cauſa. Cùm & uxor intentare crimen & ille conſtanter negare; ſtatutum eſt, ut monomachiâ litẽ finirent. Certo die, quem aut ipſi delegerant aut arbitri præſcripſerant, congreſſi ſunt, equites primùm, inde pedites. Non hic cæca fortuna (quæ ſolet alioqui in ejusmodi rebus dominari) ſed æquitas potiùs & virtus exercere ſuas vires. Nam qui ſuæ conjugis pudicitiam vitâ ſuâ cariorem habuit & in eâ propugnandâ capitis periculum non reformidavit, necato adverſario palàm faciebat omnibus: Eſſe vindicem Deum, qui ſcelerum impunitatem non ferat. Interemtum illùm carnifex pertractum ad patibulum poſtea ſuſpendit: quem ſi vincere contigiſſet, jam ex decreto Senatus illa quidem, propterea quòd falsò credita fuiſſet accuſaſſe, flammis objecta; maritus autem eo, quo adverſarius, ignominiæ genere poſt mortem etiam affectus fuiſſet. Victorem eximiis laudibus efferre omnis Nobilium turba & prædicare in eo virtutem. Quin & Carolus VI. Rex, honeſtiſſimâ quadam animi inclinatione minimè permittens, e regiè factis honorem ſuum abeſſe præmiaq;, & præſenti illum munere nõ contemnendo & certis deinde proventibus, quoad viveret, locupletavit auxitq;. lib. 3. Hiſtor. in pr. ad ann. 1385. Etiamnum ſuperiori ſeculo, factâ Mariæ inauguratione, in regio convivio vir primarius, qui hæreditario jure honorarius Regum Angliæ miles & pugil erat; in equo armatus aulã ingreſſus dicitur, qui per fæcialem, *Mariam ſe pro verâ & legitimâ regni hærede agnoſcere; qui contradicere auderet, cum eo ſe duello decernere paratum*, oſtendit projectaq; in provocationis ſignum humi chirothecâ ſemel atq; iterùm menſas per aulam diſpoſitas circumivit, & tandem Reginâ ſalutatâ poculo aureo donatus abivit. *Thuan. Hiſtor. lib. 13. ad ann. 1553. Vid. omninò Cl. Zeiller. Rer. Trag. hiſtor. 4. ubi oppidò plura extant exempla, & Ioh. Stumph. Chronic. Helvet. lib. 8. c. 6. qui Bernæ ann. 1288. fœminam cum viro decertaſſe & viciſſe ſcribit.*

X.

Non infrequens autem hic Veteribus fuit probandi modus, quòd procul dubio crederent, iis controverſiis, quæ ob perplexitatem aut probationum defectum humanâ tolli ratione non poſſent,

ſent, Deum quaſi extra ordinem affuturum neq; paſſurum, ut vel innocentes ſuccumberent aut vincerent calumniatores adeoq; illi quaſi pœnam, hi præmium reportarent. *Vid. Camerar. Horar. ſubciſiv. cent. 2. c. 18. Tholoſan. Syntagmat. jur. lib. 48. c. 16. n. 22. & ſeq.* unde Regulos Italiæ duella iſta paſſim & ſine delectu petentibus permittere, tradit *Alciat. de ſingul. certam in. c. 4. in fin.* & apud Moſchos in cauſis furti, ſpolii & homicidii etiamnum decerni ſolent. Nam ſi reus teſtibus convincatur, ſtatim contra eos excipit: *peto mihi decerni juramentum meq; divinæ juſtitiæ permitto petoq; campum & duellum.* Atq; ita juxta patrium morem actor & reus decretâ pugnâ congrediuntur; licet tamen utriq; alium pro ſe ſubſtituere, modò ne peregrinum. Quod ab eo tempore conſtitutum, cùm Lithuanus quidam Moſchum, plùs quàm 22. duellis victorem, in iſtiusmodi congreſſu occidiſſet. *Vid. deſcript. Reip. Moſchovit. Tractat. 7. pag. 275. & ſeqq.*

X. I.

Negari quidem non poteſt, nonnunquam Deum juſtæ cauſæ advocationem peculiari quodam miraculo ſuſcipere; at, quòd ſemper; id verò dubium eſt. Nusquam enim promiſſiones iſtiusmodi exſtant. Quis non agnoſcat providentiam divinam, quòd, cùm Joachimo Græcorum, qui Cairi in Ægypto ſunt, Patriarchæ Judæus quidam non infimi nominis coram Sultano poſt moleſta verborum certamina in probationem veri Meſſiæ Chriſti poculum veneno exquiſitiſſimo plenum detuliſſet hauriendum; ille forti & pio id animo, ultrà 1000. hominibus rem ſpectantibus, evacuarit ſine ullâ læſione, niſi quòd aliquantum palloris, perpetui tamen, facies contraheret: at cùm ipſe ſcyphum aquæ Judæo exhiberet in eventum ejus fidei; iſte quidem libenter illum hauſerit, mox tamen, intra ſemihorulam, rupto ventre coram omnibus exanimis conciderit. *Vid. Joh. Leunclai. Pandect. Turcic. ſive Hiſtor. Turcic. part. 3. c. 213. circ. fin. ubi addit, ſe ann. 1581. Patriarcham vidiſſe annorum 113. & vitæ integerrimum.* Sed enim cùm Andronico Palæologo imperante Eccleſia Græca in 3. partes ſciſſa eſſet & una tantùm Gregorio Patriarchæ ab Imp. conſtituto adhæreret; reliquæ verò ſuam quæq; caput ſequeretur: Imperator quidem convocatâ Adramittii Synodo id egit, ut ſtatus Eccleſiæ placidè componeretur

retur

retur; iſtis autem, qui ibi convenerant, tandem placuit, *ut utrorumq; opiniones duobus codicillis inſcriberentur, ac Deo judicium per ignem ac miracula committeretur.* Cùm itaq; per totam noctem ſedulò Deum comprecati eſſent, in ipſo magno Sabbatho libros in medio templo in ignem conjecerunt. Ac utraq; ſanè factio ſperabat, ſuum codicem inviolatum permanſurum; ſed vana ſpes illa fuit. Ignis enim utrumq; complexus ſtatim in cineres redegit, non ſine deriſu eorum, qui rem ſeriam in nugis agerent. Viſum tamen ipſis repudiatâ contentione ſpectare concordiam & pacem, atq; ultrò fauſtam à Gregorio comprecationem admiſerunt. *Vid. Nicephor. Gregoras Hiſtor. Roman. lib. 6. circ. pr.*

XII.

Et hinc rectè Pontifex monomachiam hanc damnat *in can. monomachiam. 23. cauſ. 2. quaſt. 4. c. 1. extr. de purgat. vulgar.* iſtamq; probandi conſuetudinem pravam vocat *in cap. 2. extr. de Cleric. pugnant. &c.* quippe quâ Deus tentetur. *d. can. monomachiam. & c. ult. d. t. de purgat. vulgar.* quod fieri non debet. *Deuteron. 6. verſ. 16. Matth. 4. verſ. 7.* Occulta enim & ignota judicia illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda hominum *can. conſuluiſti. 21. cauſ. 2. quaſt. 4.* Nullibi quoq; in ſacris modus iſte probandi permiſſus. *d. can. monomachiam.* cùm ea tantùm jurisjurandi & teſtium faciant mentionem. *Hebr. 6. verſ. 16. Deuteron. 19. verſ. 15. Matth. 18. verſ. 16.* Jam verò ſi ſatiùs eſt, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari. *l. abſentem. 5. ff. de pœn.* quis non videt, quàm fallax ſit hæc probandi ratio & vel innocenti periculoſa, cùm plerumq; minùs fortis aut peritus ſuccumbat. *Luc. Floron. de prohibit. duelli cap. 1. n. 11. Nic. Vernul. Inſtit. Politic. lib. 4. tit. 13. quaſt. 1.* Teſtatur id & Pontifex *in cap. 2. extr. d. t. de purgat. vulgar. ubi falsò furti accuſati duello periiſſe dicuntur; furtum apud alios poſtea inventum.* Ergò ſi deficiant plenæ probationes, non ad arma procedendum, ſed vel deveniendum ad iusjurandum. *l. admonendi. 31. ff. de jurejur. l. generaliter. 12. C. de reb. credit.* aut ſi ſemiplenè probatum non ſit, abſolvendus reus. *l. 4. C. de edend. l. negantes. 9. C. de O. & A. Vid. Bocer. de bell. & duell. lib. 2. c. 2. n. 8.*

XIII.

Parùm movent leges & exempla Principum Chriſtianorum

ſuprà

ſuprà allata, & quòd *in Prologo ad L. Bajuvariorum* Theodoricus, Childebertus, Clotharius & Dagobertus RR. Francorum dicantur leges Francorum, Alemannorum & Bajuvariorum conſcripſiſſe &, *quod antea conſuetudinem paganorum ſapuiſſe videbatur, ſecundum legem Chriſtianorum mutaſſe. ap. Frider. Lindenbrog. in Cod. LL. Antiqq.* tùm, quòd apertè modus iſte probandi conceſſus videatur à Friderico I. Imp. *in cap. Fridericus. §. ſi ruſticus 3. & in pr. verſ. ſi quis hominem. & verſ. ſi quis alium. De pace tenend. 2. Feud. 27.* Non enim exemplis, ſed legibus judicandum *l. nemo. 13. C. de ſentent. & interlocutor.* neq; ſpectandum, quid à Principibus Chriſtianis factum ſit, quàm quid fieri debuerit. *arg. l. ſed licet. 12. ff. de offic. Præſid.* Optimè *Joh. Stumphius*: Es haben die alten Francken auch nach bekehrũg zũ Chriſtlichen glauben die heidniſche u. unmenſchliche art in übũg gehabt/ daß ſie ſich ũm geringer uhrſach willen zũ kampf und verwegung ihres Leibs und Lebens begeben und erboten haben und damit verhoffet das recht und die warheit am tag zu bringen: gleichſam in ſtärcke oder geſchickligkeit die waffen zugebrauchen der grund der billigkeit beſtünde/ und der ſtärcker recht/ der ſchwächer aber unrecht hette. *Chronic. Helvet. lib. 3. c. 92. in m.*

X I V.

Confirmat ipſe Rotharis Longobardorum Rex, dum non facilè ad probationem per duella deſcendendum monet & rationem addit: *quia incerti ſumus de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam ſine juſtâ causâ ſuam cauſam perdere. Sed propter antiquam conſuetudinem gentis noſtræ legem impiam vetare non poſſumus. L. Longobard. lib. 1. tit. 9. c. 23. ap. Lindenbrog. d. l.* Ita Fridericus quoq; II. Imp. in regno ſuo probationes iſtas occultas, vulgò *paribiles* vocatas, reprobavit & antiquavit, *quòd nec rerum naturam reſpicerent nec veritatem attenderent: ridendos potiùs quàm corrigendos, qui naturalem candentis ferri calorem tepeſcere, imò quod ſtultiùs, frigeſcere nullâ juſtâ causâ ſuperveniente confidant. Conſtit. Sicul. lib. 2. tit. 31. ibid.* & cùm probationes quoq; per duellum ſuſtuliſſet. *tit. ſeq. 32,* poſteà cauſam affert, *quòd non tàm vera probatio, quàm divinatio quædam dici poſſit, quæ naturæ non conſonans à jure communi deviet, æquitatis rationibus non conſentiat. Vix enim aut nunquam 2. pugiles inveniri ſic æquales, ut vel in totum non ſit alter*

alterofortior, vel in aliquâ parte ſui majore vigore & potiori virtute, vel ſaltem ingeniis alter alterum non excedat. ibid. tit. 33. Excipit tamen cauſas homicidii clandeſtini, veneficii & Majeſtatis, quod mireris; in quibus ſi indicia præcedant legitima, accuſatori permittit ad pugnam provocare: *non quòd in iis juſtum æſtimet, quod in aliis injuſtum reprobavit; ſed ut in eorum pœnam & aliorum exemplum publicum in conſpectibus hominum ſub tremendâ probationis ſpecie tales conſtituantur ob criminum atrocitatem. d. l.*

XV.

Ab Ethnicis autem iſtum duellorum morem ad nos derivatum dubitari non debet. Teſtis *Vellejus Paterculus*, qui Germanos gratias, ait, egiſſe Quint. Varo, *quòd lites Romanâ juſtitiâ finiret, feritasq; ſua novitate incognitâ diſciplina miteſceret, & ſolita armis diſcerni jure terminarentur. lib. 2. circ. fin. ubi de clade Varianâ agit.* De populis Septentrionalibus ita *Saxo Grammat. Hiſtor. Dan. lib. 5. Præcepit* (Frotho III. Rex, Auguſto Cæſari coævus) *ne lis ulla jurisjurandi fide aut pignorum poſitione contraheretur; qui verò alium pignus ſecum ponere juſſiſſet, eidem aurea libra dimidium ſolveret, alioqui gravem corporis mulctam ſubiret. Providerat enim ex pignorum poſitione maximas litium cauſas incidere poſſe. De qualibet verò controverſiâ ferro decerni ſanxit, ſpecioſius viribus, quàm verbis confligendum exiſtimans. Quòd ſi alter dimicantium relato pede prænotati orbis gyrum excederet, proinde ac victus, cauſa detrimentum reciperet. Sin autem quavis de re popularis pugilem impeteret, ipſum armatus exciperet cubitali duntaxat ſtipite pugnaturum.* Hæc *Saxo d. l.* De Scythis *Herodotus*, Capita inimiciſſimorum reciſo illo, quod infra ſupercilia eſt, pro poculis uti; poſtquam pauperes quidem illa pelle bovino exteriùs induxerint, divites autem etiam interiùs inaurarint. Idem fieri etiam de eorum Scytharum capitibus, qui propter civiles controverſias coram Rege alterum duello provocarint & victi ſint. *lib. 4. c. 65.* Idem de virginum certaminibus in probationem pudicitiæ apud Libyas, qui circa paludem Tritonidem habitant, fieri ſolitis, refert. *d. l. c. 180. Vid. infr. th. 25. 28. & ſeqq. Add. Alciat. de ſingular. certam. c. 2.* Laudandus itaq; Alfonſus VI. Caſtiliæ Rex, quòd iſtiusmodi probationibus monſtruoſis à propoſito mentis ſe dimoveri paſſus non ſit, quanquam aliàs ma-

lam

Iam cauſam fovebat. Nam cùm Officium Toletanum ſive ſacra Gothica ab Iſidoro olim Hiſpalenſi ex ſcriptis Patrum compilata abolere, & contrà Officium Gallicanum ſive Pontificum recentiorum ceremonias Gregorii VII. ſuaſu in Eccleſias introducere animum induxiſſet; quamvis Clerus omniſq; populus adverſaretur ſuamq; cauſam duello, ut & judicio ignis (liber enim Officii Toletani illæſus ex incendio manſerat, altero combuſto) probaret; nihil tamen ſententiam mutavit, judicans, ut ait Autor, duellum ſimileſq; probationes jus non eſſe. *Roderic. Toletan. de reb. Hiſpan. lib. 2. c. 26. Add. Alvar. Gomez. de reb. geſt. Fr. Ximenii Cardinal. lib. 2. & 3.*

XVI.

Extrajudiciale duellum voco, quod inter ſe ſubditi ad tuitionem honoris ſeu vindicandæ injuriæ causâ privatâ autoritate ſuſcipiunt. Hoc ut in caſtris vel ſtativis, aulis & Academiis uſitatiſſimum; ita verò abominandum & omni jure prohibitum eſt. *Luc. Floron. de prohibit. duelli c. 1. §. 1. Alex. Peregrin. de duell. quæſt. 2. n. 2. & ſeqq. Bocer. d. l. n. 5. & ſeqq. & c. 8. n. 11. & ſeqq. Matth. Berlich. concluſ. practic. part. 4. concl. 16. in pr. n. 1. & 2. Dn. Carpz. Juriſpr. Forenſ. part. 4. conſtit. 9. definit. 1.* Pugnat enim cum præcepto divino, quod dilectionem proximi inculcat. *Exod. 20. verſ. 13. Deuteron. 5. verſ. 17. Matth. 5. verſ. 21. & 44. 1. Petr. 3. verſ. 9. Roman. 12. v. 17.* & privatam vetat vindictam. *Deuteron 32. verſ 35. Roman. 12 verſ. 19.* pugnat cum naturali ratione, quæ hominem homini inſidiari *l. 3. ff. de I. & I.* alterum, multò minùs ſeipſum, lædere. *l. juſtitia. 10. ff. eod. §. 3. Inſt. eod.* aut iniquam alteri conditionem inferri fas eſſe negat. *l. non debet. 74. ff. de R. I.* pugnat cum utilitate publica, quòd Magiſtratus autoritatem deſtruit, quippe cui ſoli vindicta publica commiſſa. *Roman. 13. verſ. 1. & 4. 1. Petr. 2. verſ. 13. & 14. l. non eſt ſingulis. 176. ff. de R. I. l. nullus. 14. C. de judæis & cælicol.* Illud impium, iſtud injuſtum, hoc maximè ſeditioſum eſt. Hinc cruenta ſpectacula in otio civili & domeſticâ quiete omninò interdicta ſunt. *l. un. C. de gladiator. 11. 43.* adeoq; & hæc duella. *Bocer. d. c. 2. n. 8. verſ. ulterius.* unde, ſi quis in iis alterum occiderit aut vulneraverit, non ſolùm pœnâ L. Corneliæ de ſicariis coërcetur, *arg. §. item lex 5. Inſt. de public. judic. l. 1. in pr. ff. ad L. Cornel. de ſicar.*

car. & utili L. Aquiliæ actione. *arg. liber homo. 13. ff. ad L. Aquil. l. quâ actione 7. §. 4. eod.* ut ſcilicet impendia in Medicos facta & quicquid lucri interverſum, aut damni per cædem aut vulnus datum, reſtituat. *l. 3. ff. ſi quadrup. pauper. Dn. Præſ. Exercit. Juſtin. 15. th. 5. lit. h.* Sed etiam Majeſtatis reus eſt, quòd injuſſu Principis alteri quaſi bellum inferat ſeq; pro Magiſtratu gerat. *l. 3. ff. ad L. Jul. Majeſtat. Tholoſan. Syntagm. jur. lib. 48. c. 16. n. 9.* cùm aliàs, qui extra uſum venationis vel itineris arma moveat, de vi publicâ teneatur. *l. 1. ff. ad L. Jul. de vi publ. l. un. C. ut armor. uſus inſc. Pr. & c. 11. 46.* Jure Saxonico noviſſimo qui injurioſis verbis alterum provocat, ob ſolam provocationem pœnâ pecuniariâ vel carcere vel pro cōditione perſonarum & rerum qualitate etiam relegatione punitur. *Conſtit. Novell. Auguſti Elect. part. 4. conſt. 9. ibiq; Dn. Carpzov. definit. 1. & 2.* ita tamen, ut actio injuriarum propterea non ceſſet. *Berlich. d. l. n. 13.* at contumelioſè provocatus ſi compareat & provocantem vulneret; impunè id fert; ſin verò eum occiderit, pro conditione perſonarum relegatione tantùm vel ſimili pœnâ afficitur. *Conſtit. Novell. d. l. conſtit. 10. ibiq; Dn. Carpzov. defin. 1. 2. & 4. Berlich. d. l. concl. 17. n. 1. & ſeqq.*

XVII.

Jure Canonico cùm adeò graviter in certamina ludicra ſit animadverſum. *vid. ſupr. th. 5.* mirum non eſt, ſi graviores pœnæ adverſus duella hæc ſint conſtitutæ, præſertim Pontificum anteriorum, *Julii II Leonis X. Clementis VII. Pii IV. Decret. concil. Tridentin. Seſſ. 25. de reformat. c. 19. Gregorii XIII. & Clementis VIII. conſtitutionibus*; quæ exſtant apud *Luc. Floron. d. l. c. 1. §. 2. & Alex. Peregrin. d. l. in fin. & ab iisdem fuſiùs & ex profeſſo pertractantur.* Igitur Domini aut Præfecti militares, qui ſubditis aut militibus ſuis duella permittunt, ipſo facto excommunicati ſunt & interdicti, perpetuò infames, diffidati, incidunt in crimen læſæ Majeſtatis, ut ſeditioſi & rebelles puniuntur, fiunt inteſtabiles, privantur jurisdictione ac dominiis & carcere ac pœnâ 4000. ducatorum plectūtur. *Floron. d. l. c. 2. 3. & 4. Peregrin. d. l. quæſt. 4. n. 11. & quæſt. 6. n. 1.* Qui duella ex compacto ineunt ipſi quoque excommunicati ſunt ipſo jure, omnia bona ſua amittunt, perpetuò infames ſunt, ut homicidæ puniuntur, ubique capi poſſunt, ſi in conflictu moriantur,

ſepul-

ſepulturâ carent Eccleſiaſticâ; ſi Clerici ſint, etiam deponendi ſunt, ipſo facto omnibus beneficiis privantur & irregulares fiunt. *Floron. d. l. c. 5. Peregrin. d. quæſt. 6. n. 3. Andr. Vallenſ. in Paratitl. ad tit. de Cleric. pugnant. in duell. n. 2. & 3.* Iisdem pœnis afficiuntur, qui vel alterius nomine provocant; ut & pugnantium patrini, ſocii & qui iis commeatum dant, ad pugnam adhortantur, auxilia præſtant, favent, qui ſuaſores ſunt, ſpectant, mandant aut quomodocunq; in causâ ſunt, ut duella fiant, v. g. ſi literas provocatorias cõponunt, dictant, ſcribunt, publicant, affigunt &c. *Floron. d. l. c. 6. & ſeqq. usq; ad c. 16. Peregrin. d. quæſt. 4. per tot. & d. quæſt. 6. n. 4. Andr. Vallenſ. d. l. n. 4. Vernul. Inſtit. Politic. lib. 4. tit. 13. quæſt. 6.*

X V I I I.

Usq; adeò Italis ſuis duella vetuerunt Pontifices; qui tamen teſte *Dn. Zeillero* ſtolidi ingenij judicant, cum periculo corporis ſe ulciſci & provocare ad pugnam. Ita enim ille de moribus eorum: Sie halten die rache viel höher / als das leben ſelbſten. Sie greiffen einen aber nicht alſo an / wie die Deütſchen und Franzoſen ſolches im brauch haben; ſondern halten die für Narren / wan ſie beleidiget werden / daß ſie ſich balgen und hiedurch noch dazu das leben wagen ſolten: daher es den ſo viel Banditen und Meüchel-mörder unter ihnen giebt. *Itiner. Ital. cap. 1. n. 12.* Vix ſeveriùs usquam gentiũ duella prohibita ſunt, quàm in Galliâ; quia nullibi frequentiora. Affirmat id de civibus ſuis *Barthol. Gramondus* his verbis: *interdicta item certamina ſingularia adjectaq; veteribus nova pœna. Incaſſùm. Vana in id remedia legum, niſi deſuper mutentur affectus. Pravitate naturæ excidio ſuo in vetitum nituntur Galli, gens in ſui perniciem nata prodigaq; ſangvinis, Deo & patriæ debiti. Hiſtoriar. Galliæ. lib. 1. ad ann. 1614.* & mox, ubi Eccleſiaſticũ Ordinẽ retuliſſet à Rege acerbius interdictum efflagitaſſe: *Rex edictum promulgari jubet majori, quàm antea, ſeveritate in monomachos. Verùm ex vetito gliſcit authoritas crimini majoreq; poſt legem licentiâ graſſatur iſte furor. Mirum, Gallos, qui paſſim mutabiles ſunt, in eo pugnæ genere adeò conſtantes eſſe, ut non Dei, non Regum legibus, non manſuetudine flecti poſſint, ut ex gladiatoriâ palæſtrâ tranſeant in mores Chriſtianos. d. l. ad ann. 1615.* & rurſus alibi: *in Nobiles pleraq; congeſta; primum de effreni in lanienam libidine, per quam ſe mutuâ internecione delent*

prælio

prælio ſingulari; quæ peſtis præcipuè graſſatur in Galliâ. Barbara ſanè nationis aliàs manſueta crudelitas, quâ ſe mutuò necant vano honoris aucupio homines. Nec ſatis, provocatum pro libidine provocantis in arenam deſcendere, niſi ab utraq; parte vocentur, qui nullo invicem diſſidio ferrum ſtringant & ſæpe amico ſanguine cruententur. Cleri præcipuum ſtudium fuit in eam peſtem comitijs Galliæ generalibus ſub annum M D C X V. habitis. Malo ingraveſcente renovatum Regum edictum proſcribendis, qui legem infringerent; reſtes, patibula, omnis demum infamia collata in noxios; ſed hæc in irritum. Prævaluit libido in ſanguinem, gladiatorum virtus; agnitumq; tandem malo experimento monomachiam apud Gallos pro virtute acceptam Nobilibus, unumq; è criminibus eſſe, quæ vetabuntur ſemper & ſemper valebunt. Ibid. lib. 3. ad ann. 1617.

X I X.

De eadem re longè antè *Thuanus* & quidem de duello Iacobi Lev'j & Caroli Balſaci: *rixa in arcano intercedebat, quâ ex causâ incertũ. Cùm verò alter ab altero de injuriâ ſibi, uſurpatâ apud nos inter Nobiles ratione, ſatisfieri peteret, horam & locum duello condicunt, quo & duos ex amicis, inaudito apud alios more, cæterùm vanâ decoris oſtentandi cupiditate nunc nimis frequenti, ſecum pugnaturos adducunt. Hi omnes ſummo ſilentio in equorum foro Lutetiæ ad mutuam perniciem vix orto ſole certarunt. &c. Hiſtor. lib. 66. ad ann. 1578.* & alibi de monomachiâ Caroli Bironii & Caroli Garancii: *Occulta inter rivales ſimultates alebantur, quæ tandem in exitialem eventum exarſerunt. Nam Bironus ex levi causâ rixâ exortâ Carancium per fidum ſibi ad duellum provocat & contra legem & rationem duelli, ut duos ſecum amicos adducat, monet, de cætero armorum delectum ei defert. Id ſecretò actum, quòd pravo apud nos more receptum, ne quis conſcius deſtinato duello, re ad Principem renunciatâ, impedimentum afferat; & quisq; ad decus pertinere exiſtimat, ne res evulgetur. Congreſſu facto Bironus cum ſuis victor evaſit & Carancium cum ſociis interfectũ humi ſtratos reliquit. d. l. lib. 85. ad ann. 1586.* De duelli pœnâ idem Author: *Vetita duella ſub vitæ pœna & eorum, qui interſunt, bonorum confiſcatione; in occiſos ſupplicium Majeſtatis additum*; ut ſcilicet cadavera crati impoſita à carnifice per urbis vias raptentur & ad patibulum ſuſpendantur. *lib. 129. ad ann. 1602.* In Belgio ann. 1610.

pro-

promulgatum Edictum, quo provocantes & conſentientes in duellum declarantur infames, indigni Nobilitatis inſignibus, privantur officiis & honoribus omnibus, cum publicatione dimidiæ partis bonorum; ipſis verò monomachis, ſi modò ad locum duello deputatum ex condicto conveniant, pœna infligitur mortis & bona confiſcantur omnia. *Andr. Vallenſ. d. l. n. 2.*

XX.

Quæ mens Turcorum ſit ſuper duellis, non piget *Auger. Gislen. Busbequii* elegantiſſimo ſermone huc referre & tantò lubentiùs, quod idem non obſcurè mores Chriſtianorum arguat. *Facta*, inquit, *rerum in confiniis Hungariæ geſtarum mentio me admonet, ut exponam, quid Turcæ ſentiant de monomachiâ, unico apud nos præclaræ fortitudinis teſtimonio. Fuit in regione Hungariæ nobis conterminâ, magnâ virium famâ Singiaccus Arslambegus. Nemo eo validiùs intendebat arcum, nullius ferrum altiùs penetrabat neq; hoſtibus erat formidoloſius. Huic ſe æmulum comparaverat Velibegus ejusdem laudis affectator, finitimorum locorum & ipſe Singiaccus. Æmulatio aliis fortè rebus aucta ad ſummum odium, inſidias & vulnera proceſſit. Hac, an aliâ de causâ Conſtantinopolim accerſſitus Velibegus, mihi incompertum; venit certè: ex quo cùm alia multa quæſiviſſent in Divano Baſſæ, poſtremò de diſſidio ejus cum Arslambego audire voluerunt. Tùm prolixè recitavit totam illarum ſimultatum ſcenam, cauſas, progreſſum &, quo deniq; evaſiſſent; &, ut cauſam ſuam faceret meliorem, ſubjunxit, ſe ex inſidiis ab Arslambego vulneratum; quibus nihil fuiſſet opus, ſi ſe dignum ſuo nomine præſtare Arslambegus voluiſſet, quandoquidem ipſe pugnam cum eo nunquam ſubterfugiſſet, ut quem ad ſingularem pugnam multoties provocaſſet. Hoc Baſſæ averſantes: Tune commilitoni tuo ſingulare certamen denunciare auſus es? Deerant quippe Chriſtiani, in quos pugnares? Vivit uterq; veſtrum pane noſtri Imperatoris, nihilominus inter vos de vitâ decernere parabitis; quo jure, quonam exemplo? An ignorabatis, utercunq; veſtrum cecidiſſet, Imp. damno caſurum? Quò dicto duci eum in carcerem juſſerunt, in quo multis menſibus maceratus vix tandem liberatus eſt, exiſtimatione valdè diminutâ. Apud nos multi hoſte publico nunquam conſpecto, quòd in civem aut contubernalem ſtrinxerunt ferrum, clari & memorabiles habentur. Quid iis moribus facias, ubi virtutis locum vitia*

vitia occupant. &c. quod pœnam meretur, gloria & honori vertitur? *Legat. Turcic. Epiſt. 3. in m.*

XXI.

Planiſſimè. Sed audiamus, quomodo cauſam ſuam defendere conentur iſti. Qui pericula contemnit, ajunt, fortis eſt; qui læ lentem accuſat, meticuloſus adeoq; inglorius. At enim crudelis, qui famam negligit. *can. nolo. 10. cauſ. 12. quaſt. 1. can. non ſunt audiendi. 54. cauſ. 11. quaſt. 3.* quam æquè ac vitam tueri jura permittunt. *arg. l. iſti quidem. 8. §. 2. ff. Quod met. cauſ. l. juſta cauſa. 9. ff. de manumiſſ. vindict.* Quaſi verò in cognata viſcera ſævire ſit pro patriâ occumbere, & non potiùs timidi, legitima Magiſtratus judicia aſpernari. Huic enim commiſſum, ut iniquitates calumniantium expellat. *in pr. proœm. Inſtit.* non tibi, ut ipſe ultionem ſumas. *l. nullus. 14. C. de Judæis* niſi fortè judicis copia haberi nequeat. *arg. l. non eſt ſingulis. 176. de R. I. l. ſi cujus 13. §. æquiſſimum. 3. ff. de uſufr. Bocer. de bell. lib. 2. c. 8. n. 6. & ſeqq. H. Grot. de jur. bell. lib. 1. c. 3. n. 2. & 3.* Etſi autem vilis & abjecti animi cenſetur, injurias ultore ferro non perſequi; tamen id ex vulgi doctrinâ, non prudentum, qui provocatum reſpondere volunt; *ſe quidem paratum eſſe ad ſui defenſionem, quotiescunq; ab aliquo invadatur, acceptare tamen duellum ex condicto nolle; cùm id ſit contra legem divinam & humanam*: ita honorem ſatis iri defenſum. *Alex. Peregrin. tr. de Duell. in Prolegomen. n. 3. verſ. nec obſtat.* Neq; verò eundem defenſionis modum jura concedunt, ſi quis de famâ periclitetur, quàm ſi de vitâ. Amiſſa enim exiſtimatio reparari poteſt, hæc nequaquam. *Vid. Joh. Feſchius de Defenſ. th. 6. lit. a. G. Freiwald. ibid. th. 21. lit. b. Add. Dn. Præſid. in prælect. public. ad rubr. C. de his, quod met. cauſ.* Ergò ſi legum auxilio & Magiſtratus ope vindicemus injuriam, quâ quis nos laceravit; non negligimus honorem noſtrum; ejus enim judicium & vindicta optimum emplaſtrum eſt, quo vulnus famæ inuſtum ſanetur. *Bocer. d. l. n. 15. Vernul. Inſtit. Politic. lib. 4. tit. 13. quaſt. 2.*

XXII.

Pergunt iſti: Quod permittitur, vituperandum non eſt; at duella magis permittuntur, quàm puniuntur. Si enim ſeveriùs in ea animadverteretur, procul dubio minùs eſſent frequentia. Et quare non permittantur, cùm iis litium materia amputetur & ani-

mi tetrici rurſus coaleſcant. Atqui Reip. multum intereſt, ſopi-
piri litigia & civium vigere concordiam. *Nov. 30. c. 1. in fin. pr. l. litibus. 20. in pr. C. de agricol. & cenſit.* Quis dubitat, quin perverſæ actiones perverſa monſtrent ingenia? Sanè quæ ſolùm permittuntur, glorioſiùs eſt omittere, quàm committere. Et neſcio, an hodie usquam gentium certamina noſtra impunè ferantur. Auderem enim Magiſtratus iſtos tanquam Divinæ & ſuæ autoritatis negligentes accuſare. Quod tamen non eadem utiq; duellis pœna impoſita, inde eſt, quòd non omnis lex cuivis Reip. conformis. *arg. §. 1. Inſt. de I. N. G. & C. l. jus civile. 6. ff. de I. & I.* Sed & litium finiendarum magnam habendam eſſe rationem nemo negat; nam & ob id uſucapionis jus rectè conſtitutum *l. uſucapio. 5. ff. Pro ſuo. Dn. Præſ. Exercit. Juſtinian. 6. th. 6. lit. a.* Enimverò me pudet veterum Legislatorum Moſis, Minois, Lycurgi, Numæ, Zaleuci, Draconis, Solonis, Charondæ, aliorum, qui iſtum tollendi controverſias modum neſciverunt. Fortaſſis muſtea hæc ſapientia eſt. Ita videtur. Quî namq; id faciat ad lites exſtirpandas, quod novam earum ſegetem ſolet producere? *Floron. de prohibit. duelli c. 1. n. 11. verſ. Quarta.* Vetus gnome eſt, vix componi certamina iſthæc, quin aliorum ſemina exoriantur. Et me quidem judice longiſſimè errat, qui ab dubiis & crudelibus iſtis experimentis veram ſibi & firmam certantium amicitiam ſpondet. Utut ſit, malis remediis ad bonum finem utendum eſſe, ſacra Scriptura vetat. *Rom. 3. verſ. 8. Vid. Busbequ. Epiſt. ad Rudolph. II. Caſ. 22. circ. f. Zeiller. Rer. Tragic. hiſtor. 4.*

XXIII.

Quid, ſi armis vindicare injurias ſubditis permittat Magiſtratus, num illi ſalvâ conſcientiâ iſto uti jure poterunt? Minimè verò. In iis enim, quæ cum Divino mandato & rectâ ratione pugnant, obtemperandum illi non eſt. *Actor. 5. verſ. 29.* Quin imò, ſi rectè officio ſuo fungatur Magiſtratus, ne permittere quidem poterit. *arg. §. pen. Inſt. de I. N. G. & C. §. fin. Inſt. de legit. agnat. tutel. §. minùs ergò. 11. Inſt. de hæredit. quæ ab inteſt.* ſi ſecus faxit, etiam ſuo ſe gladio iugulabit & in utrumq; ferro decertantium erit injurius. Dum enim ultionis munus à DEo ſibi demandatum in ſubditos transfert, non ſolùm cœleſti juſſioni obſtrepit,

 vid.

vid ſupr. th. 16. ſed & iis feneſtram aperit ad majores tumultus. *arg. non eſt ſingulis. 176. ff. de R. I.* Difficulter namq; revocari tùm poterunt ab licentiâ ad æquitatem, ſi ſibi ipſis liceat quaſi bellum inferre; perinde ut ferox caballus per rectoris imprudentiam aut ignaviam habenis ſolutus ægerrimè rurſus eas admittit. In ipſos autem certantes delinquit Magiſtratus, quòd utrumq; in animæ pariter ac corporis diſcrimen ſine causâ mittit. Non dicam, crudelitatis quandam eſſe ſpeciem, membra, quorum tu caput es, in ſe invicem pati ſævire. Neq; tamen inficias imus, poſſe aliquando concedi duellum, ſi ex prohibitione metus ſit majoris mali, v. g. ſi duo Proceres aut belli Duces inter ſe contendant, & tantis odiis mutuò exarſerint, ut placari nullo modo queant; tanta quoq; eorum potentia, ut clientum vel propinquorum ope aliquid molituri videantur & alter alterum invaſuri. Præſtat enim duorum pugnam ſpectare, quàm plurium, ſi neutrum evitari poteſt. *arg. can. 1. & tot. diſtinct. 13. Vid. Bodin. lib. 4. de Rep. c. ult. in m. & infr. theſ. 48.*

XXIV.

Ita à Scipione Romanorum Imp. duobus Hiſpanorum regulis, Corbidi & Orſuæ, duellum permiſſum, cùm de principatu contenderent & alium Deorum hominumq;, quàm Martē judicē habituros ſe negarent. *Liv. lib. 28. c. 21.* Ipſe quoq; Carolus V. añ. 1522. in Hiſpaniâ ſimilem pugnam non ſolùm conceſſit, ſed & ſpectavit; quam fuſiſſimè perſequitur *Camerar. Horar. ſubciſiv. centur. 2. c. 21.* Idem jam antè fecerat ejus ſororius Chriſtianus II. D. R. Nam cùm bellum in Suecos moliretur & Ivarus Lungius, gente Danus ac proſapiâ nobiliſſimâ, tùm Georgius Tengnagelius è Germaniâ oriundus, uterq; rei militaris laude excellens, peditatus univerſi præfecturam affectaret; utrinq; æmulatio majorem in modum animos exaſperavit, cùm & Lungius hominem ſibi peregrinum, ſi armorum laude æqualem, tamen non ſuperiorem anteponi ægrè ferret, & Tengnagelius indigenæ quantumvis, cui parem ſeſe crederet, nihil exiſtimaret eſſe concedendum. Rex diſſidio intellecto, quemq; quæ donaverat (uterq; autem armaturam affabrè factam pro captandâ ejus gratiâ Regi obtulerat, qui Germani donum ſupra Lungii æſtimare videbatur) arma induere jubet atq;

atq; haſtis concurrentes experiri, utra meliora eſſent; qui viciſſet, illum ſui peditatus Ducem fore. Placuit utriq; conditio; & concertant die ac loco præſtituto in co ronâ ſpectatorum frequentiſſimâ. Lungius impactâ in oculum haſtâ adverſarium ſtravit; victoriæ tamen fructum, vitæ paulò pòſt ereptus, non percepit. *Joh. Meurſ. Hiſtor. Dan. lib. 3. ad ann. 1519.* Poſtmodùm & Henricus II. G. R. duos Nobiles, Vidum Cabotium Jarnacium & Fr. Vivonum Caſtaneum, publicè magno theatro, ſe & Proceribus ſpectantibus, duello experiri paſſus eſt. Cabotius gravi nec ferendo probro oneratus Caſtaneum mentiri dixerat; qui modus revincendæ injuriæ maximè injurioſus apud Gallos putatur nec niſi certaminis aleâ poſſe expiari. *vid. infr. theſ. 43.* Succubuit Caſtaneus, qui fretus viribus arroganter ſe geſſerat, adverſario contrà cauſæ potiùs quàm armis confiſo. In poplite ictum accepit; cumq; ſanguinem ſiſti & vulnus obligari à chirurgis non pateretur, accedente vitæ tædio deceſſit. Rex Caſtaneo favebat, &, cùm præter ſpem & opinionem accidiſſet, tantum cepit dolorem, ut ſe nunquam in poſterum in duella conſenſurû religioſiſſimo ſacramento obſtrinxerit. *Thuan. Hiſtor. lib. 3. ad ann. 1547. Famian. Strad. de bell. Belgic. decad. 1. lib. 1.* Addit *Thuanus*, à curioſis annotatum, Regem, qui ſerium duellum, rem religione Chriſtianâ vetitam, infauſtis regno auſpiciis approbaſſet, in ludicro vitam amiſiſſe. *lib. 22. ad ann. 1559. vid. ſupr. th. 4.*

X X V.

Pergimus ad reliqua duellorum genera. Quæ à diverſorum Magiſtratuum ſubditis incuntur vel in bello fiunt vel extra id. Illa, ſi bellum juſtum, damnare non poſſumus, modò publica autoritas accedat propter diſciplinam militarem. *Alciat. de ſingul. certam. c. 3. in pr. & c. 25. Bodin. d. l.* Suſcipiuntur autem vel de ſummâ rerum vel ſolius virtutis aut gloriæ causâ. Hæc ut victricis partis militibus alacritatem augent, ita devictæ timorem incutiunt. *Bocer. d. lib. 2. c. 3. n. 8. Verpul. d. l. quæſt. 4.* Videre tamen licet, quantò minùs jactantiæ vitio vacet, qui alterum temerè provocat, tantò virtuti & victoriæ propiorem, qui provocantem adoritur. *Id. quæſt. 5.* Hujus laudis & fortunæ participes apud Ebræos David. *1. Samuel. 17. verſ. 30.* Jonathan. *2. Samuel. 21. verſ. 21. 1*

Chronic.21.verſ.7. Benaia. *2. Samuel. 23. verſ. 20.* aliiq; . *1. Chronic.21.verſ.4. & ſeq.* apud Græcos Hercules. *Diod. Sicul. Bibliothec. Hiſtor. lib. 4.c. 16.17. 18.23.* Theſeus. *ibid. c. 61.* Philopœmenes. *Plutarch. Vit. Parallel. tom. 1. h. c. 11.* Euſtratius Macedo. *Nicet. Choniat. in Annal. ſub Imp. Ioh. Comnen.* apud Romanos Cl. Marcellus. *Plutarch. d. l. h. c. 2.* L. Sicinius Dentatus, qui octies *Val. Max. lib. 3. c. 2. n. 24.* M. Servilius, qui vicies ac ter ſingulari certamine hoſtem ſtravit. *Plutarch. d. l. in Æmil. Paul. c. 51.* T. Manlius Torquatus & Valerius Corvinus. *Val. Max. d. l. n. 6.* Q. Cotius. *ibid. n. 21.* P. Cornel. Africanus Junior, *Liv. epitom. 48.* Apud Scythas Prothoë Amazon, quæ ſepties ex provocatione adverſarium devicit. *Diod. Sicul. d. l. c. 16.* apud Turcas Eliezes. *Laonic. Chalcocond. lib. 7. de reb. Turcic. circ. fin.* apud Pannonios Georg. Caſtriotus, aliàs Schanderbeg. & Georg. Thurius. *Camerar. d. l. c. 10.* apud Hiſpanos Rodericus Davalus. *P. Jovius de Vit. Ferdin. Daval. Piſcar. lib. 1. in pr.* apud Septentrionales populos Starchaterus. *Sax. Grammat. Hiſtor. Dan. lib. 6.* qui non multò poſt Chriſtum natum tria ferè hominum ſecula peregiſſe narratur. *Joh. Magn. Hiſtor. Gothic. lib. 5. c. 6. Joh. Suaning. in Chronolog. Danic. ad ann. C. 51. & 331.*

XXVI.

Juvat iſtius notæ duellum hîc latiùs memorare. Cùm anno 1468. Auſtriaci numeroſo exercitu & auxiliariis copiis Imperii Venetis bellum inferrent, propinquis jam caſtris ad Atheſin, Antonius Maria Venetorum Ducis F. Italus voce militari provocavit Germanos, *ſi quis duello ſecum, utra gens bello præſtantior, dimicare vellet?* Accepit conditionem Johannes, Comes Sonnebergius, è gente dapiferorum Walpurgenſium. Conventum eſt, *ut victor mille florenos & equum atq; arma victi trophæi loco lucraretur; uter pugnantium nomen S. Catharinæ exclamaret, pro victo haberetur.* Locus inter duo caſtra medius ad ripã fluminis conſtitutus, & cuiq; 4. viri militares adjuncti, quos Grießwertel vocant, qui campũ cuſtodirent, victo ſubvenirent, victori pecuniam, arma & equum traderent. Sub pœnâ ſuſpendii vetitum, ne quis alius verbo, nutu aliové ſigno pugnantibus indicium daret. Introgreſſi carceres, ubi ſignum datum eſt, mox haſtis infeſtis concurrerunt. Aberravit

vit Germanus; Italus haſtæ cuſpidem illæſo hoſte fregit; at, cùm equum domare non poſſet, concitato curſu carceribus impegit & extra illos cum equo corruit. Imperterritus tamen eo caſu ſtricto gladio intra ſepta ſe rurſum recepit & pedes cum equite pugnavit, cumq; Sonnebergii equus congreſſum fugeret retrocedendo identidem & ſe attollendo, Italus gladiatoriâ arte hoſti enſem eripuit. Hic, etſi res præter opinionem accidebat, non tamen ſe deſeruit, ſed converſo equo deſiliit clavaq; & pugione contra Mariam ſe munivit: qui interea defixis in terram gladiis hoſtilem laminam firmiorem repertus, eam retinuerat, abjecerat ſuam. Haut diu clavâ uſus Sonnebergius & ipſe illam projecit non ſine metu ſpectantium Germanorum. At cùm pugione aliquot ictus hoſtiles excepiſſet, mirâ celeritate gladii uſum Mariæ ademit & cum eo luctari cepit. Tandem ambo feſſi luctando corruunt. Ibi Germanus ſublatâ loricâ nates adverſarii pugione invaſit; qui ſentiens ictus geminatos, absq; morâ Catharinæ nomen proclamavit. Hic fuit monamachiæ finis, ex quâ Germanorum laus & honor admodum auctus, ipſiq; hoſtibus facti formidoloſiores. Devicti arma diu in armario Walpurgenſi aſſervata, donec tandem petenti Bavariæ Duci tranſmiſſa ſunt. *Camerar. d. l. c. 20.*

XXVII.

Simile duellum inter undenos Hiſpanos & Gallos pro gentis gloriâ initum, eleganter, ut omnia, deſcribit *Paul. Jovius De vit. magn. Conſalv. circ. pr. lib. 2.* Sex horis continuè depugnatum ſub tanto armorum pondere in occaſum uſq; Solis: judices ex tribunali incertam victoriam pronunciarunt. Addit autor, *magnopere lætatum Conſalvum iſthoc certamine, quòd ſtudio parandæ laudis milites accendi exacuiq, eorum virtutem egregiâ contentione perſpiceret: Hiſpanos ex urnâ ſorte ductos, quùm ſupra centum Equites ambitioſo concurſu nomina dediſſent.* Non longò pòſt ex eadem causâ inter Italos & Gallos ter denos pugnatum eo eventu, ut hi manus dederint, qui tamen illos provocaverant & victoriam ante triumphum cecinerant. Pugnæ locus ad unius fermè ſtadii ſpatium ſulco deſcriptum eſt, erecto ſuggeſtu, in quo ſub umbellâ tres judices delecti conſiderent. Ii ſtatuerunt, *ut delati extra ſpatium pro victis haberentur, ſingulis autem victoribus arma & equi centeniq;*

item aurei præmium forent. Id. d. l. poſt. pr. Thomas Epirotarum, qui Hiſpanis militabant, ſtrenuus Dux Joh. Noritium Anglorum, qui Ordinibus Belgii auxilio miſſi fuerant, ſummum Ducem provocarat; Cùm ille, *per belli leges ſibi non licere,* diceret; Rogerius Wilelmius, ejus Vicarius, conditionem accepit. Igitur juxta dictas utrinq; in certamine leges ambo, exercitu utroq; in armis ſtante, prodeunt; conflictuq; facto poſt illatos ac repreſſos utrinq; ictus neutro læſo diſceditur, cùm priùs alter alteri poſt gratias comitate militari actas præbibiſſet. *Thuan. Hiſtor. lib. 74. in pr. ad ann. 1581. Eman. Meteran. Hiſtor. Belgic. lib. 10.* Longè triſtiore exitu inter vicenos Gallos & Belgas dimicatum, quorum illi Duce Carolo Breauteio victi ſunt, qui duello cauſam dederat; cùm capto Vicario ſuo ſcripſiſſet, *dolere Gallis, quòd homines nullo pacto cum ſuis comparandi hanc de ipſis victoriam reportaſſent; ſe paratum cum duplo majori numero eorum certare, de victoriâ tàm certum, quàm cupide occaſionem, ſi quando ſe in manus dediſſet, rei gerendæ capturum. Vid. Thuan. lib. 124. ad ann. 1600.*

XXVIII.

Sicuti vero de ſummâ rerum temerè juſto prælio decernere prudentem belli Ducem non decet; ita multò minùs eam paucorum certamini committere. Quia namq; libertas inæſtimabile; conſtat quàm periculosè iſte theſaurus unius alteriusvé cuſtodiæ credatur, qui omnium eſt. Difficiliùs enim, ex parium & paucorum, quàm certamine imparium, ſed plurium victoria ſperatur; cùm quò major multitudo, eò facilior omnium confuſio fieri ſoleat. Videre tamen eſt, plerumq; ab imbecilliori parte ita provocatum, fortè eo conſilio, ut minori militum jacturâ oppreſſi poſtmodum commodiùs bellum, aut rebellionem pro re natâ reparare liceret. Omnium celeberrima iſtiusmodi pugna eſt tergeminum fratrum *Horatiorum & Curatiorum*: quorum illi pro imperio Romanorum, hi pro Albanorum dimicarunt & victi ſunt. *Vid. Liv. lib. 1 c. 25.* Non minùs celebris ea inter Argivos & Lacedæmonios de Cynurio agro ſive Thyreâ regione in confiniis poſitâ. Nam cùm hi interceptam tenerent, & iſti bellum ob id moverent; tandem convenit, *ut triceni utrinq; concurrerent; utri ſuperiores exſtitiſſent, eorum regio foret. Reliquus exercitus domum diſcederet*

neq;

neq; ſuis ferret auxilium. Delecti utrinq; tantâ vi pugnarunt, ut nox prælium dirimeret; tres tantum ſuperſtites eſſent. Ex his 2. Argivi, tanquam victores, curſu Argos contenderunt; unus Lacedæmonius ſpoliatis Argivorum corporibus arma eorum quaſi victor ad ſuos detulit. Ita utriſq; victoriam ſibi vindicantibus, lis manſit indeciſa. *Vid. Herodot. lib. 1. c. 82. Strabon. Geograph. lib. 8. circ. fin. Pauſan. de florentiſſ. Vet. Græc. region. lib. 2. in Corinthiac.*

XXIX.

In Daniâ cùm Wermundus Rex, (vixit Alexandri M. tempore. *Suaning. d. l. ad ann. Mundi 3650.*) ætatis vitio oculis orbatus eſſet, Saxoniæ Rex Daniam Duce vacuam ratus, ei per Legatos mandaverat, *Regnum, quod præter ætatis debitum teneret, ſibi committeret procurandum; qualiter enim Regem cenſeri poſſe, cui ſenectus animum, cæcitas oculos pari caliginis horrore fuſcaverit? ſin abnuerit, armis petiturum & extorſurum: aut filium cum ſuo filio ex provocatione certare permittat, victorem Regno potiturum.* Audiens Uffo, ſive Olaus, filius ſubitò velut ex muto vocalis evaſit, permiſſuq; Parentis flagitato Legatis acriter reſpondit Regisq; filium cum fortiſſimo ſimul provocavit ambobusq; interfectis Saxones tributarios reddidit. Locum duelli Eidorus fluvius, qui Holſatiam terminat, ita aquarum ambitu vallavit, ut navigio tantùm aditus pateret. Wermundus in ponte ſe collocaverat, flumine periturus, ſi filium vinci contigiſſet; eo autem victore, præ gaudio lachrymavit. *Vid. Saxon. Grammat. Hiſtor. Dan. lib. 4. Add. Olaum Worm. Monument. Dan. lib. 1. c. 9. circ. fin.* Iidem Saxones cùm poſtea rebellantes Hamam offerrent, agilimum pugilem, pro libertate pugnaturum; placuit Danis conditio, qui Starchaterum ſiſtunt. Hic victor effecit, ut Saxones pro quolibet membro cubitali ſervitutis ſtipem quotannis pendere cogerentur; qui tantum auri, quantum moles ejus corporis caperet, Hamæ victoriæ præmium promiſerant. Starchaterus plures agros & ſexagena mancipia accepit. *Ibid. lib. 6.* Ita Vandali cùm Duce Gundarico vaſtatis Galliis in Hiſpanias tranſiviſſent, & harum populi viribus collectis armati obviam irent; convenit; *ne multitudo clade interiret, ut diſcrimen duobus pueris belligerantibus committeretur.* Interfecto

ſecto autem Vandalorum puero, hi Hiſpaniâ ceſſerunt. *Vid. Tholoſan. Syntagm. Iur. lib. 48. c. 15. n. 7.*

X X X.

Et ſanè alias ab antiquiſſimis inde temporibus, primariis præſertim viris, in more fuit poſitum, ſæpiſſimè ſine juſtâ cauſa, ſolâ virium oſtentatione aut vanæ gloriolæ aucupio, congredi; interdum propoſitis præmiis. Hercules cùm Siciliam peragraret, ab Eryce ad luctæ certamen provocatus, depoſitis pro contentionis pignore agris, victor regionis poſſeſſionē acquiſivit; quam tamen ut depoſitum incolis ad uſumfructum conceſſit, donec poſterorum aliquis eam repeteret; id quod poſtmodum evenit. *Diodor. Sicul. lib. 4. bibliothec. hiſtor. c. 23.* Biarco nobilis athleta ob pugnacitatis laudem in Daniâ affinitatem Regiam meruit. *Saxo Grammat. d. l. lib. 2.* Aliquot jam antè annorum centuriis Skioldus Rex, unde poſteris honoris gratia *Skioldungorum* cognomen, devicto Scato competitore Alvildæ Alemanniæ Principis. *Ibid. lib. 1.* Ulyſſes ſuperatis rivalibus Penelopes connubium impetraverat. *Pauſan. d. l. lib. 3. in Laconic.* Meâ etiamnum ætate, idem Autor inquit, iis, qui ad templum Dianæ Aricinæ (non procul ab urbe Româ) ſingulari certamine cum Sacerdote dimicarint, victoriæ præmium deæ ſacerdotium propoſitum eſt: quanquam in id nemo ingenuus deſcendit, ſed ſervi duntaxat, qui ſe fugâ dominis ſubduxerunt. *lib. 2. in Corinthiac. Add. Strabon. Geograph. lib. 5. in deſcript. Latii.* Et hinc Melanthus Meſſenæ R. quòd monomachiâ Xanthum Bœotorum R. viciſſet, ultrò ab Athenienſibus Rex creatus eſt. *Id. Geograph. lib. 9. in pr.* Quanto quæſo exemplo & propè dicam miraculo Græcis fuit Polydamas Scotuſſenſis, omniū ſuâ ætate robuſtiſſimus? Sanè non tam, quòd leonem inermis ſtraviſſet aut taurum ferociſſimum adeò tenaciter primoribus pedibus apprehendiſſet, ut vix relictis ungulis effugere poſſet, quàm quòd à Dario Ocho in Perſiam magnis promiſſis evocatus, 3. de cohorte regiâ, qui *immortales* vocantur omniumq; fortiſſimi habentur, ex provocatione occidiſſet. *Pauſan. d. l. lib. 6. in Eliac. poſter.* Scilicet nihil æquè hominem nobilitare cenſebant Veteres iſti, quàm corporis robur & agilitatem; unde in ludis Olympicis, Nemeæis, Iſthmicis aliiſq;, in quibus ſolæ corporis vires victoriam promittebant,

victores

victores non modò in conventibus iſtis ſtantes cum palmâ & coronâ publicas ferebant laudes, ſed & à civitatibus ſuis triumphantium in morem excipiebantur, jus ſtatuæ erigendæ conſequebantur, à civilibus oneribus erant immunes & annuo ſalario, quoad viverent, è publico fruebantur. *Vid. Pauſan. d. l. lib. 5. & 6. in Eliac. prior. & poſter. Panciroll. lib. 1. rer. memorabil. cap. de Veter. lud. & ibi Salmuth. in Not. l. un. C. de athlet. Gothofred. in Not. ad l. ſpem. 5. C. Quæ res pignor. oblig.*

XXXI.

Sed nos ad duella noſtra revertimur; quæ extra bellum majoris mali avertendi causâ licitè inter ſubditos utrinq; à Magiſtratu permitti poſſe arbitror. Exemplum non adeò longinqui temporis præbet *Thuanus.* Bello enim inter Henricum IV. G. R. & Carolum Sabaudiæ D. flagrante, cùm Chaumuſſeta munitio à Gallis expugnata eſſet, Carolus Crequius (qui poſteà Equitum Tribunus ſive Galliæ Mareſchallus factus eſt) inſignem faſciam ceperat eamq; tubicini à Sabaudo fortè miſſo oſtendens, diligenter interrogaverat, *utrum faſciam agnoſceret; nam ſi Philippini eſſet* (erat is Ducis frater naturalis) ſicuti ferebatur, *eam ſe libenter ipſi redditurum.* Re à tubicine relatâ Philippinus hac Crequii comitate decori ſuo illudi ratus, injuriam militari facinore ulciſci ſtatuit; &, dum exercitus utrinq; in conſpectu ſtaret, ſpatioſo prato interjecto per tubicinem ad certamen equeſtre Crequium provocat, non additâ causâ. Hic cùm confeſtim ad deſignatum locum contendiſſet, aliquâ morâ interjectâ à Philippino ſignificatum eſt, *fruſtrà ſe exſpectari, fratris enim mandato ſibi interdictum, ne veniat.* Tenebris itaq; ſubortis diſceſſit non ſine juſtâ indignatione & Philippini tergiverſationem incuſavit. Paulò pòſt capitur Crequius; cumq; Philippinus captivum officioſè inviſiſſet, nihil cauſæ intercedere putabatur, cur ampliùs ad extrema deveniretur. Factâ pace publicâ Crequius libertati reſtitutus; tùm Philippinus per tubicinem Crequio ſcribit &, ut ad Marraliam munitionem veniat, rogat. Ille duelli repetendi causâ denunciationem fieri interpretatus, comparet, adductis ſecum 3. amicis, duobus item enſibus ac totidem pugionibus, ut eorum optionem Philippinus faceret: qui quanquam *colloquium tantùm ſe expetiviſſe per literas* re-

 ſpon-

ſponderet *& per id abundè ſibi ſatisfactum*; Crequius tamen, *certaminis cauſâ ſe veniſſe* dixit & coràm adverſarium ad duellum invitavit ac parata arma oſtendens monuit præſentes, *ut ſermonum inter ſe habitorum & conditionis oblatæ memores eſſent.* Mox facti ſeriem ſcripto complexus petiit, *ut ei Philippinus quoq;*, ſicuti ipſe fecerat, *ſubſcriberet.* Quod cùm facere recuſaſſet, ita ventum ad duellum. Ictus autem in mamillâ Philippinus cùm ſe vulneratum inclamaſſet & imperante Crequio arma abjeciſſet: ipſe quoq; Crequius arma abjecit & adverſarium amicè complexus diſceſſit. Rem Sabaudus Dux ægerrimè tulit, parùm pudori Philippini conſultum exiſtimans, ſi prior ille arma abjeciſſet; ideoq; ipſum à conſpectu ſuo abſtinere juſſit, donec maculam tantam eluiſſet. Igitur denuò ad manus ventum; isq; poſt exiguam moram duelli exitus fuit, ut Philippinus tribus enſis, duobus pugionis ictibus confoſſus conciderit. Tùm ſuperincumbente Crequio &, *vitam ut ſibi condonari peteret*, inſtante, non ſolùm recuſavit, ſed etiam, *ſi ſibi condonaretur, eam minimè ſe adverſario debiturum* declaravit. Itaq; patrinus illius, qui vulgò vocatur, eam non Philippino, ſed ſibi condonari petiit. Ad quæ verba ſtatim conſurgens Crequius cùm Philippinum in pedes perhumaniter cum aliis erexiſſet, ſalutatis qui aderant, abitum maturavit. Ille ob vulnerum gravitatem conſiſtere non potuit, ſed paulò pòſt è vitâ migravit. Magnam ea res attulit Sabaudo triſtitiam; at Rex diu exſpectatione ſuſpenſus ſummâ lætitiâ nuntium accepit. Initiò patrini copiam ſibi quoq; fieri certaminis petierant; ſed placuit, ut, quando veluti certaminis moderatores adeſſent, extra ejus aleam manerent. *Hiſtor. lib. 123. ad ann. 1599.*

XXXII.

Magiſtratuum inter ſe duella prohibita non eſſe, ſatis conſtat. Si enim illis bellum gerere licet. *Vid. Grot. de jure belli ac pac. lib. 1. c. 2.* quare non duellum? *Alciat. de ſingul. certam c. 3. in pr. Bocer. de bell. & duell. lib. 2. c. 3. n. 5.* Sanè & virtutis ſtudium & ingentem ſui amorem ingenerant ſubditis, qui pro eorum ſalute fortiter ſe quaſi devovent eamq; vel ſuo ſanguine redimere non reformidant. Hac mente optimus Impp. Carolus V. cùm Franciſcum I. G. R. quòd conventione Madritianâ non ſtetiſſet, accuſaſſet perfidiæ, & res ad bellum ſpectaret; mentionem fecit duelli, quò ſi-

nis controverſiarum & effuſionis ſanguinis innocentium eſſet.]
Quanquam exitu res caruit, altero in alterum accepti primùm & poſtea declinati certaminis notam conferente. *Vid. Dn. Limn. in Annotat. ad Proœm. Capitulat. Carol. V. verb.* durch die wahl. *n. 56. & ſeqq.* Eundem eventum habuit duellum ab ejus avo materno Ferdinando Arragonio indictum Luſitaniæ Regi Alfonſo; de quo *Anton. Nebriſſenſ. de reb. geſt. Ferdin. & Iſabell. decad. 1. lib. 4.* At Hyllus, Herculis F. in Peloponneſios movens cùm ex hoſtium numero, quicunq; vellet, ad ſingularem pugnam provocaſſet conditione propoſitâ, *ſi adverſarium ipſe vicerit, ut regnum Euryſtei Heraclidis cedat; ſin occubuerit, ut intra 50. annos Heraclidæ in Peloponneſum non revertantur:* in certamen deſcendit Echemus Tegeatarum Rex Hyllumq; interfecit: Heraclidæ ex pactorum formulâ tàm diu quieverunt. *Diod. Sicul. Bibliothec. Hiſtor. lib. 4. c. 60.* Poſtea cùm rediiſſent & par eſſet utriq; exercitui robur *vetuſtâ quadam Græcorum conſuetudine*, ut ait Autor, iterum ad ſingulare certamen progreſſi ſunt Pyræchma Ætolus & Degmenus Epejus; hic levi amaturâ fretus ſoloq; inſtructus arcu, quòd eminùs ſagittis ſe facilè victoriam à gravis armaturæ adverſario ſperaret reportaturum; ille, ubi dolum animadvertit, fundâ marſupioq; lapidum pleno; recèns tùm bono caſu invento ab Ætolis fundæ uſu. Quia verò fundæ longiùs quàm arcus perferrentur jactus; cecidit Degmenus; Heraclidæ Peloponneſum obtinuerunt. *Strabo Geograph. lib. 8. in deſcript. Elid. Pauſan. d. l. lib. 5. circ. pr. in Eliac. prior.* Pergamenus quoq; Achillis nepos ex Epiro in Aſiam trajeciſſe legitur & cum Ario Theutraniæ domino congreſſus victor regnum Pergamenum condidiſſe. *Id lib. 1. in Attic.* Ita Adraſtus & Eteocles, infelicis Oedipi filii, de regno Thebarum certarunt, ſed infauſto exitu, ambobus cadentibus. *Id. lib 9. in Bœotic.*

XXXIII.

Manfredi Siciliæ Regis, qui Friderici II. Imp. filius erat naturalis, filiam in uxorem duxerat Petrus Arragoniæ Rex; illum Carolus Andegavenſis G. R. frater cùm à Pontifice propter ejus tyrannidem excitus conſerto prælio occidiſſet ann. 1265. & Galli Siculos omni vexationis genere infeſtarent; hi, uno veſpere delectis omnibus adverſariis, Petrum evocarunt & regio diademate or-

 narunt

narunt. Inde bellum diu cum Carolo geſtum vario Marte. Tandem Pontificis & Collegii Cardinalium autoritate Burdegalæ in Aquitanis ſub Angliæ R. judice armis concurrere pacti ſunt jureq; jurando ſanxerunt, *ut, uter victus eſſet, inſulâ decederet neq; ampliùs de eâ controverſiam faceret.* Condictâ die Petrus adfuit & circiter meridiem armatus campum ingreſſus, cùm interrogaſſet, *utrum Carolus adeſſet?* reſponſumq; fuiſſet, *non adeſſe*; ter campum emenſus hoſtem tergiverſantem contumaciæ accuſavit & in ejus rei fidem teſtibus appellatis inſtrumentoq; confecto unà cum judice diſceſſit. Poſt illius abſentiam Carolus, jam Sole inclinante, comparuit pariq; ipſe modo in Petrum invectus ſe victorem aſſeruit. Dubitatum fuit, utrius cauſa juſtior. Et, ſi judice adhuc ſedente adveniſſet, dubium non erat, Petrum fore damnandum, qui occaſum Solis exſpectare debuiſſet; at quoniam ille quoq; unà è ſtadio fuerat digreſſus, Petro culpa imputari non potuit. Hinc judicatum, utriq; aliam diem ſtatuendam, quoniam facto judicis ambo eſſent impediti. Recuſavit tamen Petrus fortunam ſubire ampliùs, ſeq; victorem proclamavit: unde à Pontifice quidem damnatus fuit & per diploma fulminans regno exutus, ſed irrito conatu. *Vid. Luc. Marin. Sicul. de reb. Hiſpan. lib. 11. Alciat. d. l. & c. 41. ubi tamen Carolum priorem comparuiſſe aſſerit.* Veram inter duos Indianos, alterum Pegu, alterum Annæ, Reges pugnam memorant *Navigat. Indic. Batavor.* quorum hic illi, utpote fratris filio & juniori, etſi longè potentiori tributarius eſſe & fidem præſtare noluerat. Pugnatum ſcloppetis, arcubus & gladiis. Annenſis devicti elephas, cui inſederat (ambo enim ita dimicaverant) præ doloris vehementiâ lacrymaſſe dicitur & totos 15. dies à cibo ſe abſtinuiſſe. *part. 2. duce Stephan. v. Hagen ad ann. 1603.*

XXXIV.

Cæterùm non expedit, Principes temerè licentiam iſtam uſurpare. *Alciat. d. l. c. 3. Vernul. Inſtit. Politic. lib. 4. tit. 13. quæſt. 5.* Quamvis enim ſatiùs ſit, unum perire, quàm multos. *Johan. 18. verſ. 14.* tamen fallit regula, ſi unius periculum cum plurimorum certiſſimo diſcrimine ſit conjunctum. Hinc Iſraëlitæ, ut abeſſet à præliis, Davidi perſuaſerunt. *2. Samuel. 21. verſ. 17.* & Ericus VI. Dan. R. quòd ſalutis ſuæ adeò prodigus eſſet, ut bellum commiſ-

ſurus

ſurus ſingulariter in hoſtem procurreret; arctiùs à ſuis obſervari ſolebat. *Sax. Grammat. Hiſtor. Dan. lib. 14.* Prudenter quoq; nonnulli Principes cenſentur duelli conditionem rejeciſſe. Nam cùm Pyrrhus præcone ad Antigonum miſſo peſtem eum appellaret, utq; in campum digreſſus ſecum dimicaret de regno Macedoniæ, provocaſſet: reſpondit, *ſuas non armis magis, quàm occaſione conſtare militiæ rationes; Pyrrho ſi non vacaret vivere, multas mortis patere vias. Plutarch. Vit. Parallel. tom. 2. c. 67. in Pyrrh.* Eadem ferè reſponſio data Antonio ab Auguſto Cæſare. *Ibid. tom. 3. c. 80. & 97. in Anton.* cumq; Sertorius Metellum provocaret, etiam hic pugnam detrectavit. Addit *Plutarchus:* Rectè. Duce enim dignam mortem Dux oppetere debet, non levis alicujus armigeri. *tom. 2. c. 20. in Sertor.* Satis itaq; liquet, quid ſentiendum de iis Principibus aut belli Ducibus, qui vel pro unius victoriæ ſpe cum ſingulis hoſtibus manum conſerentes ſe totumq; exercitum in præſens periculum adduxerunt, etſi rem benè geſſerint ab eventu. Hujus ordinis fuit Romulus, qui Acronem Cærinenſium Regem. *Plutarch. d. l. tom. 1. in Romul. c. 26.* Cornelius Coſſus, qui Lartem Tolumnium, Vejentium R. Marcellus Conſul, qui Britomartum Regem Gallorum. *ibid. c. 27. Liv. lib. 4. c. 19.* Cyrus minor, qui Artagerſam fratris Artaxerxis Ducem. *Plutarch. tom. 3. in Artaxerx. c. 11.* Alexander M. qui Spithrobaten Darii generum. *Diod. Sicul. lib. 17. c. 20.* Eumenes, qui Neoptolemum. *Plutarch. tom. 2. in Eumen. c. 13. Cornel. Nep. ibid. c. 4.* Pyrrhus, qui Pantauchum. *Plutarch. d. l. in Pyrrh. c. 13.* Philopœmen, qui Damophantum. *Id. tom. 1. in Philopœmen. c. 11.* Pompejus, qui magnum quendam Hiſpanum. *Id. tom. 2. in Pompei. c. 29.* Frotho II. Dan. R. qui Frogerum Norvag. R. *Sax. Grammat. Hiſtor. Dan. lib. 4.* Haldanus D. R. qui Syvaldum Sueciæ Pr. ſingulari pugnâ devicerunt. *Id. lib. 7.* Triſtioribus auſpiciis Brutus & Aruns Tarquinius; Lamachus Athenienſium Dux cum Callicratide Syracuſano congreſſi ſunt; uterq; enim ceciderunt magno exercituum incommodo. *Plutarch. d. l. tom. 1. in Publicol. c. 12. & tom. 2. in Niciâ c. 35. Liv. lib. 2. c. 6.*

XXXV.

Reſtat, ut de neceſſario duello paucis agamus. Eſt id ab ju-

ſtâ defenſione, quando injuſtam vim propulſamus. *Bocer. de Bell. & Duell. lib. 2. cap. 10.* quod non modò permiſſum. *l. itaq. 4. l. ſcientiam. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. cap. ſignificaſti. 18. verſ. ſi verò. extr. de homicid.* Sed à naturâ quoq; præceptum. *arg. l. 3. ff. de I. & I. l. 1. §. vim vi. 27. ff. de vi & vi armat. Dn. Præſes. Exercitat. Juſtinian. 1. theſ. 8. lit. d. & Exercit. 18. th. 5. lit. d.* adeò, ut ſi defendendo quis vel occiderit invaſorem, omni culpâ ſit vacuus. *l. 2. 3. 4. C. ad L. Cornel. de Sicar. d. l. 3. ff. de I. & I. Conſtit. Criminal. Carol. V. artic. 139.* Sed & qui juſtam defenſionem omittit, graviter peccat. Nemo enim ſine peccato ea negligere poteſt, quæ naturalis ratio nobis injunxit. Quod ſi enim alios defendere tenemur. *can. non inferendâ. 7. cauſ. 23. quæſt. 3. d. conſtit. art. 150. in pr.* multò magis noſmetipſos; ſi alterum non lædere. *§. 2. Inſt. de I. & I. l. Juſtitia. 10. ff. eod.* multò minùs noſmet ipſi debemus. Par namq; crimen pati videtur, qui non prohibet injuriam, cùm poſſit, quàm qui infert. *arg. l. nullum. 109. l. culpa. 50. ff. de R. I. d. l. ſcientiam. 45. in pr. ff. ad L. Aquil.* Hinc celebri Ægyptiorum lege, ſi quis in viâ hominem interfici aut quamlibet vim ſuſtinere videns, cùm poſſet, non vindicaſſet; capitali ſupplicio obnoxius erat. *Diodor. Sicul. bibliothec. Hiſtor. l. 1. c. 77.* Et elegantiæ parens: *Qui non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ; tàm eſt in vitio, quàm ſi parentes, aut patriam deſerat. Cic. lib. 1. Officior. circ. pr.* & rectè *Senec. Tragœd.*

Qui non vetat peccare, cùm poſſit, jubet.

in Troad. act. 2. ſcen. 2 verſ. 299. Ita tamen vim alteri illatam arcere jubemur, ſi abſq; manifeſto periculo fieri queat. *arg. l. Præſes. 6. C. de ſervitut. & aq. l. 2. §. item 5. in fin. ff. de aqu. & aqu. pluv.* Meritò enim quis vitam ſuam & res alienis præfert. *Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 25. n. 7.* Facit huc locus *Senecæ*: *Si filios alicui reſtituere potero magno periculo liberatos, ſine ullo meo incommodo, non dubitabo. Dignum etiam impendio ſanguinis mei tuebor & in partem diſcriminis veniam; indignum ſi eripere latronibus potero clamore ſublato, ſalutarem vocem homini non pigebit emittere. lib. 1. de benefic. c. 10. in fin.* & alter: *ſuccurram perituro, ſed ut ipſe non peream, niſi ſi futurus ero magni hominis aut magnæ rei merces. ibid. lib. 2. c. 15.* An itaq; etiam contra Parentes vel Magiſtratus injuſtam vim inferentes

tes defenſio hæc licita erit? Ita arbitramur. *Vid. Georg. Friwald. de neceſſar. defenſion. theſ. 9. & 10. Diſputat. Baſileenſ. vol. 2. Diſput. 24. Add. Grot. d. l. c. 1. n. 8. & ſeq.*

XXXVI.

Ut autem duellum ſive defenſio hæc verè neceſſaria adeoq; juſta ſit, requiritur, ut fiat cum moderatione inculpatæ tutelæ. *l. 1. C. unde vi. d. cap. ſignificaſti. 18. §. ult. extr. de homicid.* & (1.) ut ne ſit affectata, neu culpa defendentis proceſſerit. Si enim autor rixarum malè feriatis verbis, aut verberibus alterum ad juſtam offenſionem concitaverit & poſtea in vitæ periculo conſtitutus ſub ſpecie defenſionis alterum læſerit, haud ſanè id ei impunè abibit. Principium namq; attenditur & is, qui cauſam malorum præbuit. *l. ſi ex plagis. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. quoniam multa. 6. C. ad L. Jul. de vi publ.* Et de ſe queratur, qui ſuâ culpâ in diſcrimen præcipitavit. *arg. l. Mela. 11. in fin. ff. ad L. Aquil. l. nemo. 151. ff. de R. J.* Inde eſt, quòd Dd. adulterum, furem nocturnum aut bannitum legitimam ſui tutelam ſuſcipere poſſe negant, ſi ab iis invadantur, quibus id jure permiſſum eſt. *arg. l. Gracchus. 4. C. ad L. Jul. de adulter. l. itaq;. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil. Ord. Camer. part. 2. tit. 9. §. 2. Add. Bocer. d. l. n. 6. & 33.* (2.) ut ne aliter imminens ab invaſore periculum avertere poſſimus; non quaſi fugâ opus ſit, ut plurimum periculoſâ, ſed ne, v. g. adverſarium exſpectando aut ei obviam eundo malum iſtud nobis acceſſamus. *d. l. ſcientiam. 45. §. 4. in pr. ff. ad L. Aquil. l. 2. C. ad L. Cornel. de ſicar. Clement. un. de homicid. Conſtitut. Crimin. Carol. V. artic. 140. & 142. Bocer. d. c. 10. n. 43. & ſeqq.* (3.) ut confeſtim fiat, non ex intervallo. *l. 3. §. eum igitur. 9. ff. de vi & vi armat.* Ita namq; non ſeſe tuendi ſed ulciſcendi cauſâ alterum lædere quis videtur, quòd minimè licet. *d. l. ſcientiam. 45. §. 4. in fin.* Vindicta enim Magiſtratus eſt, non privatorum. *l. nullus. 14. C. de Judæis. l. non eſt ſingulis. 176. ff. de R. J.* (4.) defenſionis limites ne excedantur. Malè etenim qui pugnis cædit, gladio repellitur, ſi metus mortis abeſt: & injuriam facit, qui, cùm adverſarium comprehendendo tutus eſſe poſſet, maluit eum occidere. *arg. l. ſed etſi. 5. in fin. pr. ff. ad L. Aquil.* quanquam non immeritò pœnæ mitigationem hujusmodi defenſor ſuſtinet, cùm provocato difficillimum ſit juſtum dolorem temperare.

te. l. ſi adulterium 38. §. Imperator. 8. ff. ad L. Jul. de adulter. d. l. Gracchus. 4. C. eod. l. qui cum. 14. §. ſi libertus. 6. ff. de bon. libertor. Berlich. concl. practic. part. 4. concl. 18. n. 1. & ſeqq. Dn. Carpzov. Juriſpr. For. part. 4. conſt. 10. defin. 1. & 7.

XXXVII.

An ergò paritas requiritur armorum? Nusquam id traditum eſt. Leges autem generaliter loquuntur; ergò nihil ultra quærendum, *arg. l. de peculio. 8. de Public. in rem action.* Quin imò, ſi defenſio illicò fieri debet, quomodo paria ſtatim arma habebimus? Et annon iniquum foret, percuſſoris arbitrio permitti, quâ ratione alter ſe tueatur? Nonnè frivolum, firmiora abjicere & conquirere æqualia & ita certiorem ſalutis viam deſerere? *Vid. Bocer. d. c. 10. n. 57. Dn. Præſ. Exercit. 18. th. 5. lit. d.* Cæterùm ut injuſtum & truculentum invaſorem interficere aut debilitare liceat, non neceſſum eſt, ut tantùm præſens ſit periculum mortis, ſed ſufficit, ſi impendeat periculum gravioris plagæ, vulneris, mutilationis, ſtupri. &c. *d. Conſtit. Criminal. art. 139. ibi:* Zu rettung ſeines leibs und lebens. *Bocer. d. l. n. 11. Add. Grot. d. l. n. 6. 7. & 10.* Quid igitur, ſi honor aut bona noſtra invadantur? Licitum hîc eſſe homicidium negamus. *Vid. Feſch. de defenſ. th. 5. lit. a. & b. Diſput. 23. vol. 2. Baſileenſ. Freiwald. d. l. th. 19. & ſeqq. Gail. 2. Obſ. 100. n. 7. & 8. & Obſ. 101. n. 5.* Neq; verò expectare provocatus primum ictũ tenetu . *d. Conſtit. artic. 40. ibi:* iſt auch mit ſeiner gegewehr/ bis er geſchlagen wurde/ zu warten nicht ſchuldig. Meliùs eſt enim occurrere in tempore, quàm poſt exitum vindicare. *l. 1. C. quand. lic. unicuiq; ſin. jud. l. fin. C. in quib. cauſ. in integr. reſtit. Bocer. d. l. n. 38.* Ex dictis liquet, quid ſtatuendum de Lucernatum lege, de quâ ita *Jos. Simlerus: Qui civem Lucernatem interfecerit, etiam ſi juſtam cauſam habuerit, quòd ſcilicet provocatus ab altero vim vi repulerit; nihilominùs deprehenſus capite pœnas luit: ſi aufugerit, perpetuo exilio damnatur; ſed ſi liberis aut propinquis caſi hominis ſatisfecerit eosq; ſibi reconciliarit, à Senatu reditum in urbem impetrare poteſt. lib. 2. de Rep. Helvet.*

XXXVIII.

Aliud quoddam duelli neceſſarii genus eſt, quod Imperio Magiſtratus injungitur. *arg. l. 4. ff. de R. J.* Id ſicuti à Chriſtianâ pie-

pietate alieniſſimum. *vid. ſupr. theſ. 23.* ita à gentilibus aliquando tùm captandi ominis, tùm animi & delectationis gratiâ uſurpatum. Ante pugnam Alexandri M. cum Dario ad Granicum, milites in duas partes diviſi & utrinq; duce conſtituto, quorum alterum Alexandrum, alterum Darium appellabant, inceperant primùm glebas inter ſe jaculari invicem; mox ad pugnos, inde accensâ contentione ad lapides quoq; & fuſtes à multis pertinaciter ventum. Hæc ut audivit Alexander, juſſit ipſos Duces ſingulari prælio decernere; Alexandrumq; ipſe, Darium Philotas armavit: duellum exercitus ſpectavit in omen futuri eam rem trahens. Dimicatum eſt acriter Alexanderq; ille victor, 12. pagos & amictum Perſicum accepit præmii loco. *Plutarch. Vit. Parallel. tom. 2. in Alexandr. c. 54. & ſeq.* Ita & Majores olim noſtri gravium bellorum eventus explorare ſoliti ſunt. Nam ejus gentis, cum quâ bellum erat, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium ſuorum patriis quemq; armis committebant. Victoria hujus vel illius pro præjudicio accipiebatur. *Tacit. de morib. German. circ. pr.* Apud Spartanos quoq; ephebi ante ſolemnes pugnas ſuas apros duos ſinebant inter ſe congredi. Solebat enim uſu venire, ut utrius claſſis aper victor exſtitiſſet, ea de juvenum ludis palmam auferret. *Pauſan. de florentiſſ. vet. Græc. region. lib. 3. in Laconic.* Inprimis autem crudele fuit Romanorum inſtitutum, qui non ſolùm in publicis conventibus, ſed & in privatorum conviviis gladiatores exhibebant. *Vid. Camerar. Horar. ſubciſiv. cent. 3. c. 79. Münſter. Coſmograph. lib. 3. c. 30. in pr. edit. noviſſ.* Campani eò luxus progreſſi ſunt, ut convivas ad cœnam promiſſo gladiatorum in ſingulas perſonas pari vocarent. *Strabo Geograph. lib. 5. in fin.* Et *Iulius* quidem *Capitolinus* cruentorum iſtorum certaminum hanc reddit inter alias rationem, *Romanos debuiſſe pugnas videre & vulnera & ferrum, ne in bello armatos hoſtes timerent aut vulnera & ſanguinem prohorreſcerent. in Maximin. & Balbin. Impp. poſt. pr.* quæ tamen tanti à Chriſtianis Imperator. habita non eſt, quò minùs gladiatorum pugnas in Republicâ ſuâ prohibuerint. *l. un. C. de gladiat. 11. 43.* Neq; enim placebat fortitudo, quæ non eſſet cum juſtitiâ. *Nov. 69. in pr.*

XXXIX.

Subjiciamus nunc, quæ olim à Veteribus in duellis maximè probatoriis aliisq; ſolemnibus obſervata ſunt, nobisq; in iis cauſis, ubi licitum duellum eſſe diximus, uſui eſſe poterunt. Concernunt autem ea *perſonas pugnantes, pugnandi cauſas, pugnæ locum, arma & ipſum conflictum ac tandem certaminis eventum.* Quandoquidem itaq; duello pugnare cenſebatur actus militaris, nobilis atq; generoſus. *Bonavent. Gauer de duello th. 20. Diſput. Baſileenſ. vol. 1. diſput. 12.* hinc repellebantur infames & ſcelere vel turpitudine vitæ inquinati, v. g. ſicarii, peculatores, fures, transfugæ, proditores, ignominiâ miſſi, deſertores, perjuri. *Conſtit. Sicul. lib. 2. tit. 37. c. 1. ap. Frideric. Lindenbrog. in Cod. LL. Antiqq. Tholoſan. Syntagm. jur. lib. 48. c. 16. n. 21. Alciat. de ſingul. certam. c. 18.* Henricus Tureniæ Vice-comes cùm in pugnâ fraudem ſibi factam quereretur, quòd adverſarius loricâ ſubtùs tectus, contrà quàm affirmaverat, veniſſet & ipſe à duobus ſimul circumventus eſſet; de facti ſpecie conſuluit Galliæ Proceres aliosq; militares viros. Hi reſponderunt: *quando tàm indignè habitus fuiſſet, licere ei aliâ quavis viâ, quàm per uſurpatã inter Nobiles duelli rationẽ de percuſſoribus ac perfidis pœnam repoſcere. Ap. Thuan. Hiſtor. lib. 68. ad ann. 1579.* Idem erat in iis, qui ſemel duello fuerant victi, quòd ſcilicet, ceu judicio divino damnati, ineluibilem calumniæ maculam contraxiſſent. *Alciat. d. l. c. 20.* niſi fortè ſolius gloriæ causâ aut ad viriumoſtentationem pugnaſſent. *Gauer d. l. th. 22.*

X L.

Excuſationem quoq; habebat provocatus, ſi in armis verſatus non eſſet aut iis uti non poſſet: putà ſi Clericus eſſet, aut Philoſophus, minor, ſexagenarius, infirmus &c. *id. th. 58. & 95. Alciat. c. 24.* Item exceptionem tribuebat honor & reverentia provocato debita; tùm ſtatus aut dignitatis imparitas; ut, ſi filius patrem, vaſallus dominum, ignobilis militem, inferior Ducem exercitus aut civitatis Præfectum provocaſſet. *cap. Fridericus. §. 3. de pac. tenend. & ejus violat. ibiq; Gothofred. 2. Feud. 27. Gauer th. 71. & 100. Alciat. d. l. c. 27. usq; ad 30. & reſponſ. 253. n. 18.* Ita Ornanum, ut duelli aleam evitaret, Galliæ Mareſchallum *Gramondus* ait creatum: in id enim dignitatis evectos ſolvi legibus duelli nefasq; provocari

vocari poſſe, qui controverſias duellorum ex munere dirimant. *Hiſtor. Gall. lib. 15. ad ann. 1625.* Ob eandem officii dignitatem Joh. Noritius Anglus à Thomâ Epirotâ, & Grobbenduncanus, Sylvæ-Ducis Præfectus à Carolo Breautejo provocati ſe excuſarunt aliosq; ſubſtituerunt. *vid. ſupr. th. 27.* Quin & Mauritius Naſſovius, fœderati Belgici ſummus Dux, ægrè Breauteio conceſſit pugnandi copiam, *non convenire,* dictitans, *tali dignitate juvenem, cujus virtus aliâ potiore fortunâ inclareſcere poterat, cum ignobilibus ac gregariis militibus, imò cum perfidis, vitæ periculum facere. Thuan. Hiſtor. lib. 124. ad ann. 1600.* Ita conditionis aut ſtatus imparitatem excepit Henricus Condæus, regii ſanguinis Princeps contra Carolum Lotaringum Meduaniæ Marchionem. *Id. lib. 64. ad ann. 1577.* & Santandreani, Equitum Tribuni neceſſarius contra plebejum. *Id. lib. 34. ad ann. 1563. Add. P. Jovius de vit. Ferd. Daval. Piſcar. lib. 2. in m.* ubi Davalum Tribuno Gallico Vandeneſio provocanti reſpondiſſe ait: *ſe id certamen, quod offerretur, minimè detrectare oblaturumq; ſe præſtituto in loco arma, cùm perfecto bello, in quo ad alienum arbitrium militaret, Cæſaris ſacramento & publico munere foret exſolatus:* A provocādo repellebatur quoq; is, cujus nō intererat, putà qui neq; ſanguine neq; amicititiâ injuriam paſſo erat conjunctus. *Alciat. c. 8.* item, qui antea aliũ provocaverat neq; finem impoſuerat controverſiæ. *Id. c. 21. & d. reſponſ. n. 15.* Nulla verò iſtarum exceptionum competebat provocanti adverſus provocatum, quòd ſemel videretur ejus perſonam approbaſſe. *Conſtit. Sicul. d. c. 1. & 4.* niſi fortè à provocatione demum vitium aliquod emerſiſſet. *Alciat. c. 22. & 23. Gauer th. 60. & 21.*

X L I.

Jam quibus ætas, ægritudo, ſexus, nobilitas aut dignitas impedimento erant, ne pugnarent; illis licebat optionem, ſive, ut vulgò loquuntur, campionem dare. *Lex Longobard. lib. 1. tit. 10. c. 4. & lib. 2. tit. 56. c. 38. ap. Lindenbrog. d. l. Alciat. d. c. 8. 12. & 35. & reſponſ. 292. n. 5. & 11.* De Campione exſtat Friderici II. Imp. lex, quam hic libet inſerere: *Campio juxta conditionem & qualitatem ipſius pugnare debet, quem convincere per oblatam pugnam intendit, non, ut olim, ad electionem illius, qui ipſam pugnam obtulit. Nam reus, qui favorem jure promeruit & præter ſpem omnem ad pu-*

gnæ diſpendium advocatur, cùm ſe defendat ab alio propulſatus, ſuæ defenſionis modum non debet admittere eum, qui, antequam veniret ad pugnam, conſilio forſitan fraudulento tractaverat impugnationis ſpeciem. Si autem læſus aliquâ ſui parte fuerit provocans; provocatus in nullo ſe defendere auxilium minorabit: cæterùm ſi reus fortè ſit læſus in quacunq; parte corporis, quæ neceſſaria ſit ad pugnam; is, qui eam obtulit, in ea ſe parte debilitare debebit, in quâ debilitatus eſt, cui duellum offertur: veluti, ſi unum tantùm oculum haberet impetitus; is qui pugnam offert, aliquibus diebus antea illum oculum apposito aliquo ſibi claudet, in quo pati dignoſcitur accuſatus. Similiter & in digitis & in membris aliis, hoc volumus obtinere juxta proborum virorum conſilium & diſcretionem providam judicantis. d. Conſtit. Sicul. tit. 37. c. 4. Idem Imperator conſtituit, ut campiones æquè ac principales perſonæ calumniæ juramentum præſtarent. *ibid. cap. 2.* & ſi pro reo pugnantes in causâ majeſtatis vel homicidii (*de qua ſupra th. 14.*) dolo malo ſuccumberent; ſimilem cum iis incurrerent mortis pœnam: ſin pro actore; in caſu homicidii, ut perjuri, punirentur amputatione manuum; in judicio autem majeſtatis etiam capitaliter; *Ibid. cap. 3.* Eas autem exceptiones, quæ ab infamiâ provocantis petebantur, ſi is non admitteret, verùm illis rejectis ferrum præpararet & vim ſe illaturum comminaretur: jure militari quidem licebat provocato iſtas minas captatâ occaſione antevertere; rectiùs tamen officio judicis ei conſulebatur, qui imploratus iſtum pignoribus aut fidejuſſione ad cautionem de non offendendo compelleret; aut, ſi major concuſſio aut periculi metus, provocato idoneos miniſtros adjungeret, qui provocantis & minantis ſumtibus ipſum defenderent. *Alciat. c. 13. & 36.*

XLII.

Solebat fieri provocatio interdum per ſigna vel pignora belli, quæ ideò ſanguinolenta dicebantur, dando ſcilicet vel annulum, vel corrigiam aut chirothecam &c. *Gauer th. 36.* frequentiùs per literas, quæ vulgò *chartelli*, non ſubſcriptas ſolùm & obſignatas à provocãte, ſed à duob⁹ quoq; vel tribus rei militaris peritis teſtibus, majoris fidei ergò. Illis pugna indicebatur, priùs factâ commemoratione injuriæ, vel expreſſione cauſæ, de quâ certandum. *Alciat. c. 12.* Exemplum earum, ut & reſponſionis

ad eaſdem, inter Carolum V. & Franciſcum I. exhibet *Dn. Limn. in Annotat. ad Procem. Capitulat. Carol. V. verb.* durch die wahl. *n. 58. & ſeq. & Alciat. reſponſ. ſive conſil. 248. n. 4. & lib. de ſingular. certam. c. 5.* Scrupuloſè autem inquirebatur ex literarum formulâ, uter provocator eſſet; quòd ejus conditio in quibusdam caſibus deterior, nimirum circa armorum electionem & dubiam victoriam. *Id. c. 6.* Is autem reverà provocator cenſebatur, qui ad duellum provocaſſet aut pugnam obtuliſſet, etſi alter injuriam feciſſet. *Id. c. 5. & reſponſ. 253. n. 20. reſponſ. 261. n. 3. 262. n. 2. 296. n. 8. & ſeq.* Literæ provocatoriæ transmittebantur per nuntios probatæ fidei & inter perſonas illuſtres per fæciales ſive Heraldos. *Id. c. 12.* qui & oretenus ea proferebant, quæ literis continebantur. Hi ſi injurioſè officium ſuum exequerentur, ſine periculo aut notâ dimitti non ſolebant. Jacobus, Comes Urgellenſis, cùm Joh. Raimundum Comitem Cardonæ perjurii accuſaret & proditionis; miſſo fæciali ad ſingulare certamen eum provocare juſſerat & Barcellonæ obequitantem obviis quibuscunq; & literas denunciatorias oſtendere, & perfidiam Comitis Cardonæ eos docere. Peregit mandata fæcialis, ſed comprehenſus eſt & virgis cæſus. Subjicit Autor; *Pudore enim neglecto & alieno & ſuo non certamen indicebat, ſed ignominiâ afficiebat, propter quam jure certamina committuntur. Veneranda debet eſſe actio jure provocantis, vel ob hoc, ne injuriâ provocare videatur. Laur. Valla de reb. geſt. Ferdinand. Arragon. lib. 3. circ. pr.* Ita Franciſcus I. Galliæ R. crucem pro palatio figi mandavit ac Heraldo Caroli V. Imp. denunciari, *certum ſibi crucis exitium impendere, ſi mandata expoſuiſſet*; quippe certò ſciebat, mendacio à ſe Imperatori oblato, reſponſum ſine contumeliâ non fuiſſe allaturum. *Bodin. lib. 5. de Republ. c. 6. circ. fin.*

XLIII.

In quibus cauſis olim apud Longobardos & Germanos ad duella provocare licitum fuerit, latè tradit *Alciat. d. l. c. 4. Add. Conſt. Sicul. lib. 2. tit. 34. 35. & 36.* In Italiâ id obſervatum, ut, ſi tu mihi aliquod crimen objiceres, egoq; reſponderem, *te mentiri*, poſſes offerre, *te armis in ſtadio id, quod objeciſti, probaturum.* Admittebaturq; tunc duellum, tanquam probationis cujusdam ſpecies; ut, ſicut in cauſis criminalibus deveniatur ad torturam, quando

 adſint

adſint ſufficiētia indicia; ita in cauſis militarib⁹ ad duellū, tanquā ad innocentiæ & veritatis experimentum. *Alciat. reſponſ. 248. n. 3. 261. n. 2. 262. in pr.* In Galliâ ex conſtitutione Philippi Pulchri, ſi quis occulti criminis capitalisq; reus ſit atq; ita de eo conſtet, ut quæſtioni ſubjici poterit, non autem condemnari; is arbitratu accuſatoris duello poterat experiri; cui aliàs talionis pœna erat ſubeunda. *Id. de ſingular. certam. c. 4. in fin.* De eadem re *Bodinus*, ob atrocem olim injuriam concedebantur duella, & in iis cauſis, ubi tantæ erant difficultates, ut nullâ arte aut prudentiâ explicari poſſent; ut, ſi contumelia alicui occultè illata eſſet, quam qui intulerat inficiaretur, nec ullis argumentis, præterquam iis, quæ in conjecturâ verſantur, quid veri ſit, appareret. Etſi enim inter plebejos expedita res erat, ut absq; perſpicuis teſtimoniis damnaretur nemo, tamen qui arma tractabant, dignitatem ſuam violari putabant, nî ſatisfieret ei, qui juratus injuriam ſe accepiſſe affirmaret. Ob illatum alteri mendacium ante Franciſci I. tempora duellum decretum nunquam fuit; ſed tùm demum contumelioſum habitum, cùm ille in Principum coronâ *virum bonum eſſe negaſſet, qui mendacium oblatum non vindicaſſet armis.* Et quamvis ejus filius Henricus II. & Carolus IX. nepos, perpetuâ lege damnato duello, exiſtimationis periculum eorum nomine, qui mendacium impoſitum gladio ulti non fuiſſent, in ſeſe reciperent; tamen ſtultæ opinionis iſtæ pravitas ſive levitas animis hominum eximi non potuit; neq; ſine riſu excipiendus foret, qui ob mendacium oblatum judicem appellaret. *lib. 4. de Republ. c. ult. in med.* Illud ſatis conſtat in re clarâ & perſpicuâ non admiſſum duellum. *Vid. Alciat. in reſp. d. l. & reſp. 259. n. 2. 296. in pr.* Intēdit huc Carolus V. Imperator in reſponſione ad provocatorias Franciſci I. dum ait: *Sed verba non ſufficiunt ad conſervandum & protegendum honorem veſtrum. Sanè dixi vobis antea & dico verè, quod turpiter & malè egeritis, dum fide mihi promiſſâ in Capitulatione Madritianâ non ſtetiſtis. Atq; hoc facilè probatur ſubſcriptione manus veſtræ, quam inficias ire haut poteſtis. Quod ſi autem vobis placet contrarium facere, vos libenter ad hoc duellum aptum & habilem conſtitutum volo Chriſtiani orbis gratiâ, ut effuſioni Chriſtiani ſanguinis parcatur,*

& hos

& hoc noſtrum diſſidium tandem finem nanciſcatur. ap. Dn. Limn. d. l. n. 59.

XLIV.

Legitimè indictâ & acceptatâ provocatione antè diem pugnæ alterum ullo modo invadere religioni habebatur. *Alciat. c. 14. de ſingul. certam.* De loci autem & temporis determinatione, quo pugnandum, non una fuit Veterum ſententia. Teſtatur *Alciatus*, armorum & temporis electione provocato relictâ provocatoris fuiſſe triplicem locum ſive campum deſcribere, è quo provocatus unum exoptaret. *c. 6. & 41.* Certum tamen in duellis probatoriis penes judicem fuiſſe, pugnæ horam & locum præſcribere. *Tholoſan. Syntagm. Iur. lib. 48. c. 16. n. 10.* Conſtitutio Friderici II. Imp. reo loci, temporis, armorum & judicis electionẽ defert. *Cõſtit. Sicul. d. l. Alciat. d. l.* Quicquid ſit, ſolebant ab utraq; parte Magiſtri certaminum, quos vulgò *Patrinos* vocant, conſtitui, qui ultrò citroq; commearent, ſtadium rectè conſiderarent, armorum æqualitatem proſpicerent, pugnaturos conſilio inſtruerent & excuterent. *Id. c. 40. Vernul. Inſtit. Politic. lib. 4. tit. 13. quæſt. 7.* Oſtendit hoc jam allegata reſponſio Imperatoris, ubi determinato loci duello, *Nec deerunt*, addit, *quoq; media ibidem omnia ita conſtituendi, ut utriuſq; partis æqualis ſit ſtatus & par conditio; atq; deinde fieri poſſit electio armorum, quæ mihi, non vobis* (dixerat id Gallus) *competit. Ad amputandam verò omnem moram hoc ipſo in negotio poſſunt à nobis utrinq; ad dictum locum mitti nobiles viri cum ſufficiente potentiâ, ut ſtatuant communi conſenſu de ſecuritate loci, de armis, de die duelli & cæteris, quæ ad perficiendam rem pertinent. Quòd ſi vos, poſtquam traditæ hæ vobis literæ fuerint, intra 40. dies mihi non reſponderitis nec animum mihi veſtrum expoſueritis; facilè poterit præſumi, dilationem duelli à veſtrâ parte provenire & vos convincet delicti, quod in non ſervandis promiſſis Madriti factis incurriſtis. Ap. Limn. d. l.* Unde quoq; patet, quàm verè inauditus ſit Gallorum mos, quo & Patrini unà duelli periculum ſubeunt. *Vid. Thuan. Hiſtor. lib. 85. ad ann. 1586. Alciat. d. l. & ſupr. theſ. 18. & 19.* Apud eoſdẽ olim de monomachiæ loco cautum, ut longitudo eſſet 120. paſſuum; latitudo 80. in ſtadio ſive catadromo præter judicis tentorium fierent duo tentoria; quorum alterum, quod judici à dex-

tris, provocanti; alterum provocato attribueretur: ipſi carceres autem palis & limitibus concluderentur: in tentorium autem quilibet præter panem & œnophorum tantum eduliorum ſecum ferre poſſet, quantum ſufficeret ad victum unius diei. *Tholoſan. d. l. n. 14.*

X L V.

Armis utebantur quidem militaribus & æqualibus, at quæ provocati viribus maximè idonea eſſent, non adeò provocantis. *Gauer d. Diſput. de duell. th. 189. & 196. Alex. Peregrin. de duell. in pr. n. 3. verſ. Tertiò ut electio.* Unde *Alciatus* non prohibitum fuiſſe ait, homini procero nudo capite decertare deterioremq; hoc modo inimici puſilli conditionem facere. *c. 38.* Veterum Germanorum lege, exceptâ Majeſtatis causâ, non niſi ſcuto & fuſtibus pugnabatur. *L. Longobard. lib. 2. tit. 56. c. 29. Conſtit. Sicul. d. t. 37. c. 1. & 2.* raroq; accidebat, quenquā occidi. *Alciat. c. 4.* Antiquitùs in agonibus edendis non crebras ictuum viciſſitudines ſervatas, ſed fuiſſe cum intervallo temporis etiam feriendi diſtinctam ſucceſſionem, rarisq; ſed atrocibus plagis geſta certamina, adeò ut gloria potiùs percuſſionum magnitudini, quàm numero deferretur; ſcribit *Saxo Grammat.* & certatum inter Regnerum & Biarconem (*vid. ſupr. theſ. 30.*) utri prior feriendi copia deberetur, & iſtum ob generis dignitatem prælatum. *lib. 2. Hiſtor. Dan.* Credibile tamen, non ubivis id fuiſſe uſurpatū, ſed potiùs licuiſſe pugnantibus jam in arenâ conſtitutis alteri alterius ictus antevertere & victoriam quacunq; ratione ſibi conciliare. *Gauer th. 187.* adeò ut ſi inter pugnandum arma deciderint aut confracta fuerint; reſumentem aut inermem alter ferire poſſet, etiam equum vulnerare, niſi aliter de iis conventum fuiſſet. *Alciat. c. 42. Add. Busbequ. epiſt. ad Rudolph. II. Cæſar. 22. circ. f.* Laudatur quoq; Pittacus Mitylenæus, è ſeptem Sapientibus unus; quòd cum Phrynone Athenienſium Duce certaturus, cui in caſſide piſcis imaguncula erat, rete in ſtadium detulerit & exclamans, *ſe piſcem petere*, eum reti involverit ſicq; ſe extricare neſcientem confecerit. *Alciat. c. 39.* Inprimis autem vetabantur pugnaturi Magicas artes adhibere & ſuſpenſas membris herbas aliavè venena in ſtadium deferre, & idcircò à Patrinis & judicibus excutiebantur & jurejurando tenebantur firmare, nihil

re, nihil ſe penitùs procuraſſe, quod ad maleficas artes pertineret. *L. Longobard. d. l. c. 11. Decret. Taſſilon. ad L. Bajuvar. n. 5. ap. Lindenbrog. in Cod. LL. Antiqq. Lehmann. in Chronic. Spirenſ. lib. 2. c. 30.* Putabatur enimverò invictum robur tribuere herba Pæonia & Artemiſia; & duello inſeparabilis eſſe, qui Alectorium lapidem, in ventriculo galli gallinacei natum, ore contineret; aut quisquis in caſſide emblema haberet, quod Arietis ſigillum appellant. Contra iſtas artes alii Hypericon uſurpabant &, cùm ſtadium ingrederentur, limen ſaltu tranſiliebant; quòd opinione vulgi receptum eſſet, ei tantùm magiæ incantationes nocituras, qui pede limen calcaſſet. *Alciat. c. 37.*

XLVI.

Stato pugnæ die, armis electis & loco jam deſignato, qui planus, ventis, Soli & pulveri minùs expoſit⁹ eſſet; palis quoq; & limitibus circumſcriptus, ab amicis & Patrinis ad carceres deducebantur certaturi. Tùm præfinitâ horâ præco paludatus, nomine Judicis, altâ voce certaminis cauſam indicebat & vocato utroq; pugnantium, *ut ſuam quisq; catadromi portam & tentorium ingrederentur,* jubebat: Inde ad populum converſus, *ne quis arma ferret, non enſes neq; pugiones,* prohibebat; *ne quis equum ibi haberet; alioquin Nobilem equo privãdum; ignobilem aure: ne quis ſub pœnâ mortis ſtadium intraret: ne quis tuſſiret, ſpueret, loqueretur aliudvé ſignum daret ſub amiſſione bonorum*: tandem jubebat *omnes terrâ conſiſtere, non ſcamnis*; ut faciliùs pugnantes viderentur ab omnibus, indictâ pœnâ mutilationis membrorum, manus aut pedis. Ad hæc ſeorſim & actor & reus, ad tribunal Judicis ab Heraldo citabantur, ut ibi conceptis verbis jurarent; alter, *ſe juſtam habere accuſandi cauſam*; alter, *ſe juſtam defendendi*: quibus peractis conjunctim ex tentorio ad tribunal vocabantur & de geniculis coram imagine Servatoris noſtri crucifixi conſiſtere jubebantur eaq; apprehensâ dextras ſibi jungere. Tùm moniti à Conſiliario Principis, *ut perjurii pœnam perpenderent & animæ ac corporis periculum, quod illi immineret, qui juramento præſtito & iterùm præſtando divinam opem perfidè in auxilium advocaſſet*: moniti *ut reſipiſcerent, adhuc locum eſſe pœnitentiæ*; ſi parerent, arbitrio & miſericordiæ judicis relinquebantur; ſin perſtarent in ſententiâ, præeunte verba Conſiliario, hac rurſus

formulâ uterq; jurabant : *Ego N. N. provocans juro ſupra veram imaginem Domini noſtri Jeſu Chriſti, in fide Baptiſmi, quod conſecutus ſum â DEo, in ſpe gaudiorum Paradiſi; quibus abrenuntio & pœnas damnationis æternæ deligo in animam, vitam & honorem meum, ſi ſciens fallo & ni arbitror, me juſtam cauſam fovere expugnandi talem impium proditorem, adverſarium, quem in conſpectu habeo, video & manu teneo. Hujuscé rei gratiâ invoco in verum judicem DEum, beatam Virginem, beatumq; Georgium, S. militem. Quæ ut fideliùs exequi poſſim, per juramenta præſtita juro, me non deferre nec decreviſſe ferre mecum aut ſupra equum verba, lapides, herbas, incantamenta, invocationes Dæmonum, quæ me poſſint juvare aut ei nocere; neq; quicquam aliud præter jus meum, equum meum armaq; mea; & cum hoc oſculor hanc veram crucem & taceo.* Idem jusjurandum cùm & provocatus præſtitiſſet; ambo erecti datis dextris ita alter alterum alloqui jubebantur; Provocans quidem: *Provoco te N. N. quem ego dextrâ teneo, per ſacramenta quæ præſtiti. Cauſa, ob quam ad ſingulare certamen te provocavi, vera eſt & ideò juſtè te provocavi; & hodiernâ die te expugnabo: tu contra injuſtam foves cauſam injuſteq; eam tueri ac defendere vis; teſtesq; ea de re appello DEum, B. Virginem Mariam, B. Georgium, bonum Equitem.* At provocatus: *Et ego tibi, quem dextrâ teneo, per ſacramenta jam præſtita dico, cauſam, ob quam me provocaſti, falſam eſſe & iniquam, & proinde me juſtam ac rationabilem habere defendendi teq; expugnandi & repellendi hodie adverſum injuſtam & falſam objectionem & criminationem, ob quam me interpellaſti; cùm benè ipſe noveris, te peſſimè & impiè mentiri; quam in rem teſtes DEum, B. Virginem Mariam, & D. Georgium, bonum Equitem invoco.* His dictis genua iterum flectebant & deoſculatâ S. cruce ad tentoria ſua ſe conferebant. *Vid. Tholoſan. Syntagm. jur. d. lib. 48. c. 16. n. 14. & ſeqq.*

XLVII.

Exin Heraldus in medium progreſſus, indicto ſilentio & prioribus interdictis ad ſpectatores repetitis, cùm ter juſſiſſet, ut pugiles ſtrenuè certamen inirent; ad palos catadromi ſe ſubducebat; extra eos autem Patrini conſiſtebant, niſi fortè Judex unum alterumq; utriq; intra carceres adeſſe permiſiſſet, ut eò meliùs certamen obſervarent. Tùm Conſiliarius Judicis, vel campi Magiſter,

ſter, ſingulos interrogabat, *utrum parati eſſent?* Iisq; affirmantibus, pignus duelli vel chirothecam projiciebat in altum, ſublatâ voce ter clamans, *ſinite hos abire.* Secundum hæc hoſtilibus armis congrediebantur; qui victor exſtitiſſet, Judici ſe ſiſtebat rogansq;, *num probè officio eſſet defunctus?* abſolvebatur & cum omnium applauſu in tentorium & inde domum ab amicis deducebatur. Devictum Heraldus exarmabat, ruptis armaturæ ligulis, & arma per catadromum ſpargebat; ipſe in terram proſtratus judicis ſententiam exſpectabat, qui eum vel juſto ſupplicio afficere vel victoris arbitrio ſolebat committere. *Tholoſan. d. l. n. 19. & ſeq. Alciat. de ſingul. certam. cap. fin.* Contingebat autem victoria (1.) morte alterutrius ex plagis conſecutâ; ſi uterq; periret, provocati cauſa erat melior. *Gauer d. Diſput. de duello th. 207.* (2.) Si metu mortis alteruter clarâ voce objecta confiteretur; quam confeſſionem *Disdictam* nuncupabant. *Id. th. 204.* (3.) Si adverſario pellente alter extra carceres ſive præſtitutos certaminis terminos aufugiſſet. *Tholoſan. d. l. n. 20.* (4.) Si alteruter ſtatuto die per contumaciam emanſiſſet. *Gauer th. 211.* altero comparente & ad occaſum usq; Solis adverſarium exſpectante pro arbitrio Judicis. *Alciat. c. 41.* (5.) Si provocatus absq; gravi causâ intra 40. dies pugnandi copiam non feciſſet. *Gauer theſ. 171.* quanquam poſt denunciationis acceptionem *Alciatus* ſemeſtrem inſtantiam illi more militari concedi ait. *d. l. c. 15.*

XLVIII.

Sicuti autem victor devicti arma, equum omnemq; ornatum ſibi vindicabat. *Id. c. 43.* omniq; honorum genere privatim publiceq; affici ſolebat. *vid. ſupr. theſ. 9. & th. antep.* unde Hiſpanorum conſuetudine pugnantium ſtadia intrare illi permiſſum erat. *Gauer theſ. 179.* Ita è contrario victus ejusvè obſides victori in impenſas condemnabantur. *Id. theſ. 219. Tholoſan. d. l.* & ſi ob contumaciam, fugam aut deditionem victoriâ cecidiſſet; ignominiâ notabatur: in cujus ſignum laciniam ſeu mappam, quâ mensâ integitur, pro eâ parte ac latitudine, quam talis in accumbendo occuparet; reſecari moris erat; procul dubio ut oſtenderetur indignus eſſe, qui honeſtorum virorum convictu frueretur. *Joh. Norderman. de jur. Principat. concluſ. 52. lit. b. Joſ. Nöld. de ſtat. Nobil. theſ. 121.*

 Sole-

Solebat quoq; ejus imago infamiæ causâ per loca publica traduci, gentilitia inſignia inverti aut ſub equi caudam annecti, tùm verſa vexilla per pulverem trahi. *Tholoſan. d. l. n. 11. Alciat. c. 15.* Quin & pœnam ſubibat iſtius criminis, cujus fuiſſet accuſatus. *vid. ſupr. th. 9.* Docet id etiam Ludovicus Pius Imp. *in addition. ad L. Salic. in fin.* ubi de teſtium diſſidentium certamine ſancit: *Si ambæ partes teſtium ita inter ſe diſſenſerint, ut nullatenus una pars alteri cedere velit; eligantur duo ex ipſis, i. e. ab utraq; parte unus, qui cum ſcutis & fuſtibus in campo decertent, utra pars veritatem vel falſitatem ſuo teſtimonio ſequatur. Et campioni, qui victus fuerit, propter perjurium, quod ante pugnam commiſit, dextra manus amputetur; cæteri verò ejusdem partis teſtes, qui falſi apparuerunt, manus ſuas rediment. Cujus compoſitionis duæ partes ei, contra quem teſtati ſunt, dentur; tertia pro fredo ſolvatur. Ap. Lindenbrog. in Cod. LL. Antiqq. Add. Capitular. Francor. lib. 4. c. 23. L. Friſion. tit. 14. n. 4. L. Longobard. lib. 2. tit. 51. c. 10. 11. & 16. Lehmann. Chronic. Spirenſ. lib. 2. c. 30.* Juxta leges Islandicas, qui humum cruore prior tinxiſſet, victus cenſebatur. Victor autem omnium bonorum victi hæres evadebat. E veſtigio autem, ſimul atq; parta victoria, taurus immanis producebatur; quem ſi victor unico ictu non interfeciſſet, victi cognatis contra victorem agendi jus erat. *Angrim. Jonas de Islandic. gent. primord. c. 9. circ. pr. Olaus Worm. Monument. Danic. lib. 1. c. 10.* Laudat *Bodinus*, Melphitanum Principem, Inſubriæ à Rege Gallorum Præfectum, ſeditionibus militum coërcendis cædibusq; occultis hac lege conceſſiſſe monomachiam, *ut victus à victore necaretur, & in profluentem ſine ſepulturâ mergeretur*, conſtituto ad certamina ſubeunda loco publico, quem flumen undiq; cingebat. Cùm enim ſublatâ ſpe fugæ & auxilii vincendum aut cum infamiâ ſempiternâ moriendum eſſet, milites modeſtè deinceps ac temperanter ſocietatem & amicitiam coluiſſe. *lib. 4. de Rep. c. ult. in m.*

XLIX.

Placet nunc coronidis loco adducere, quæ formam publicorum duellorum in Imperio olim uſurpatam doceant. Suppeditat ea nobis *Sebaſtianus Munſterus*, rerum Germanicarum ſtudioſus indagator, qui de Halâ Suevorum, Imperiali urbe, in hæc verba: In dieſer Stadt iſt ein kampf gerichtet; wenn zwen Edel rittermeſſige

mit einander kämpffen wollen üm ehr und glimpff. Und wird dieſe ordnung darin gehalten. Nachdehm ein Ehrbahr Raht daſelbſt von Käyſern und Königen vor vielen Jahren gefreiet iſt; ſo ſich alſo 2. Edel Rittermeßige mit einander verwilligen und beide einen Raht üm platz und ſchirm bitten; ſchreibet ihnen ein Raht der meinung: Ihr ſchreiben und begehr hab ein Raht gehöret / und der unwill zwiſchen ihnen ſei ihm leidt / wolten gern / daß ſie von ihrem fürnehmen abſtünden / und bitt ſie mit allem fleis des zu überheben und ſich ſonſt in ein ander ehrlicher und zimlicher weis / mittel und weg zu vereinigen; deß wolle ſich ein E. Raht zu ihnen verſehen / das begehrt ein Raht üm ſie zu verdienen. Und da ſie beide wieder ſchrieben und bäten der meinung / wie vor / und nicht wollen abſtehn; auf das ſchreibt ihnen wieder ein Rath / wie vor. Und ob ſie weiter auf ihrem fürnehmen beharren / ſo benennet ihnen ein Raht einen tag / darauf zu erſcheinen / ihr beider klag / anſprach und anligen gütlich zu verhören. Und ſo ſie den tag annehmen zu kommen und alsdenn darauf erſcheinen; ſo höret ein Raht ihr anligen und nach verhörung thut ein raht möglichen fleis / ſie in ein ander mittel und weg gütlich oder auf das recht zu vereinigen. So das aber ie nicht ſein will / und ſie nicht von ihrem fürnehmen abſtehn und ein Raht nicht verlaſſen wollen; ſo ſaget ihnen ein raht platz und ſchirm zu und benennet ihnen einen tag zu kommen. Und ſo ſie kommen / und iſt ihr begehr / wie vor / ſo müßen ſie beide ſchweren zu Gott / ihrem fürnehmen geſtracks auf den beſtimten tag folge zu tuhn; und benennet ein Raht einem jedem ein anzahl leute / die er möge mit ihme bringen u. nicht mehr Perſohnen / denn ein Raht ihnen zu laßen gefällig iſt. Auf dieſelbige zeit läßet ein Raht den Marckt oder platz mit ſand beſchütten und ümſchrancken und iedem ein hütten / da er mit dem Grieswarten und ſeinen verwandten ſein möge / machen; auch jedem ein todtenbor mit kertzen / bortüchern und andern dingen / die zu einer leich gehören. Es wird auch einem jeden ſeines gefallens ein Beichtvatter / 2. Grieswartē und einem als dem andern gleich harniſch und wehr zugelaßen / oder mögen ſich des als ſelbſt zu roß oder fuß vereinen / wie ſie deshalben in ſchrifften verſprochen und zugeſagt haben. Und alsdenn in gegenwarth ihrer beiden leſt ein Raht gleich ſchutz und ſchirm öffentlich aufruffen und verkünden / daß niemand ſchreie /

 deute /

dente/ winck oder ſonſt zeichen thu und gebe; und welcher daß nicht thut/ dem wolle ein Raht durch den Nachrichter/ der denn gegenwertig ſein ſoll / mit einem hand-beil und bloch die rechte hand und den lincken fus abhauen laßen ohn gnad. Es werden alle thor verſchloßen/ alle thürm- wehr und mauren beſetzet und alle gaſſen mit eiſern ketten durchzogen/ bewahrt und verſehen; weiter wird verboten und beſtellet daß kein Frauenbild noch Knab unter 13. jahren alt darbei zu ſein oder ſtehn geſtattet werde. Alsdenn beſtimt ein Raht ihnen beiden ſtund uff dē platz in ſein hütte zu kommen mit ſeinem Beichtvatter und Grieswarten/und verwechſelt alsdeñ einen Grieswarten und befihlt iedem in ſeine hütten zu gehen und auf das allerhefftigſte mit allem fleis aufmerckung zu haben/ daß keiner wider den andern untreu/ ſonder gefehr/ noch vortheil der wehr und waffen ſuche zu tuhn noch hab in kein weis noch weg. So das alles beſchicht / alsdenn leſt man ſie gegeneinander austretten und wird mit lauter ſtimm 3. mahl geruffen / Zum erſten/ zum andern / zum dritten mahl: ſo wenden ſie einander an Welcher verwundet wird und ſich dem andern ergibt/ der ſoll hinführo geachtet werden ehrloß/ auf kein pferd mehr ſitzen / kein bart ſcheren/ noch waffen oder wehr tragen/auch zu allen ehren untauglich ſein. Und welcher todt liegen bleibt und alſo/wie lautet / überwunden wird/ der ſoll ehrlich zur erden beſtattet werden. Und dieſer der alſo obligt/ der ſoll ſein ehr gnugſahmlich bewährt haben/ auch forthin ehrlicher gehalten werden. & paulò pòſt, cùm aliquot exempla pugnantium retuliſſet; ein ander kampfplatz iſt zu Würtzburg in Franckenland; wie aber das in viel ander geſtalt gebraucht und gehalten wird/ laß ich von kürtze wegen hie anſtehn/ item zu Ohnſpach bei Nürenberg ſoll auch ein Kampffort ſein / aber ich hab nichts gewißes bisher erfahren. *Coſmograph. lib. 5. c. 248. edit. noviſſ. Add. Nic. Renſner. de Urb. Imperial. lib. 2. c. 7. de Halâ Suevor.* Fortè judicium illud duellicū Onolsbacēſe eſt id ipsū. cujus longè lateq; mentio fit *ap. Melch. Goldaſt. part. 2.* der reichsſatz. *pag. 85. tit. 71.* Ordnung deß kampff- oder kolbengerichts deß Burggraffthums zu Nürenberg.

L.

Aliud ſolemne duellum inter viros nobiles, Sigfridum von

Benningen und N. von Rechberg/ *Spiræ Magistratus conſenſu habitū ann. 1433. deſcribit Lehmann. Chronic. Spirenſ. lib. 7. c. 90. hunc in modum:* In berührtem Jahr haben bemeldte Ritter bey einem Raht umb erlaubnus und Gleidt ein ſcharff rennen in der Statt Speyr anzuſtellen angeſucht/ welches ihnen mit der Maß unnd Bedingung bewilligt/ daß ſie niemand zum Turnier ſolten mit ſich bringen/ der in der Statt Vehde ſtünde/ oder derſelben zu Schaden geweſen were. Item zu ihrer Ankunfft für ſich und die ihre anzugeloben/ der Statt und Burgerſchafft in und auſſer der Statt unſchädlich zu ſeyn/ unnd da Uffſtand/ Empörung und Ungemach würde entſtehen/ daß ſie dann alsbald mit ihren Beyſtändern unnd angehörigen bey der Statt Banier zu den Burgermeiſtern tretten/ und alles zu Frieden richten und ſtillen helffen/ und wenn ſie in die Schrancken reyten würden/ niemand auß den ihren zu Roß oder Fuß geharniſcht herbey kommen laſſen ſolten. Dieſe eines Rahts Mittel und Bedingungen haben beyde Partheyen bewilligt und angenommen. Darauff ihnen ein Raht das Gleid zugeſchrieben/ auch wegen der ankommenden Grauen/ Herrn/ Ritter unnd vom Adel den Wirthen ſonderbare Ordnung gemacht/ wie hoch ſie die Imbiß halten/ und die Urthen machen ſollen/ nemblich Herrn und rittern ein Imbis 16. Pfenning für ein Simmer Habern 9. Pfenning/ Stallmieth 5. Pfenning/ darneben Thürn/ Thor und Wachten nach aller Notturfft beſtelt und verſehen. Den Sambſtag als der von Benningen unnd Recheberg mit den Grauen von Würtemberg und Leiningen/ ſampt Rittern und vom Adel allhie eingeritten/ ſeynd ihnen bede regierende Burgermeiſter/ der ein ans Marx- der ander ans Fiſcherthor entgegen gezogen/ haben denſelben auſſerhalb und von der Statt Thor die Bedingungen und Puncten in dem Gleidesbrieff zugeſchrieben/ nachmals mündlich fürgehalten. Und demnach von beyden Theilen ſolche zu vollziehen unnd zu halten bey gegebener Handtrew gelobt und verſprochen/ iſt ihnen von den Burgermeiſtern/ jedem inſonderheit/ im Namen eines Rahts zu irem Kampff Glück und Heil gewünſcht/ unnd darauff in die Statt der Einritt gehalten worden. Sontags iſt das rennen angangen/ und ſolcher anſtalt beſchehen. Die Burgermeiſter haben mit etlichen reyſigen wolgerüſten Dienern oben und unten in den Schrancken/ jeder einer ſeits gehalten/ und darneben bey jedem hundert Burger zu Fuß/ der Statt Banier iſt zu oberſt an dem Schrancken uffgeſteckt geſtanden/

dabey

daben man offentlich außgeruffen / und verbotten / Frevel / Geſchrey unnd Unordnung bey ernſter Straff zu verhüten. Uff den Zunfftſtuben haben ſechshundert Mann in Rüſtung gehalten / Unruhe unnd Frevel / ſo ſich ungefehr erheben möcht / zu ſtillen. Das Rennen ſoll alſo ſeyn abgangen / daß obbemelde Kämpffer viermal zuſammen geritten / zu letzt der võ Rechberg tödelich verwundt / ſampt ſeinem Roß gefallen und der von Venningen den Obſieg behalten. *Hæc Lehmannus d. l. Add. eund. c. 98. ad ann. 1440.*

L I.

Erit quoq; operæ precium annectere hîc Ludovici IV. Imp. diploma ſuper eadem re, quod ita ſonat: Wir Ludwig von Gottes gnaden Römiſcher Keyſer / zu allen zeiten Mehrer deß Reichs bekennẽ öffentlich mit dem Brieff / daß für Uns kommen iſt der veſt und geſtrenge Mann / Hector von Trautmansdorff / unſer lieber getreuer Kammermeiſter / und ſich beklagt über Seyfrieden den Fraunberger / unſern Raht / wie er ihme hinderrucks ſeine ehre benommen und ſich allenthalben berühmet / beßer und vom Adel älter Herkommens ſein / dann er: Darauff hat Fraunberger unverholen ſein antwort gethan / er hette das geredt: Bitt darauff unſer Kammermeiſter / daß ein jeden zu weiſen beruffen / darauff ein Brieffliche uhrkund vor Uns fürzubringen; das beide theil gethan haben. Zum erſten hat Seyfried der Fraunberger ſein gut beſiegelt brieff mit jahrzahl Zweyhundert und Dreyzehen Jahr; darnach Hector von Trautmansdorff auch mit ſeinen guten beſiegelten brieffen gewieſen Vierdthalb hundert Jahr / auch Zwey Jahr. Nach dieſer weiſung als ſich dieſe beide / außerhalb Unſer / zu kämpffen (bey ihrẽ großẽ eiden geſchworen) verpflicht haben üm fängniß und üm ihr ſchild und helm und kleinot darũ: und das darauff dem andern Sieghafften mit leib und wappen heimfallen ſolle / deß mit hohem bitt an uns gethan / ihnen das zu vergünnen: Haben wir ihnen beiden / nach unſerm beſchloſſenen Raht das zugeben und einen tag angeſtellt, u. iſt Seyfried der Fraunberger ſchwerlich unterlegen und deß Kampffs ſieglos worden. Darnach hat unſer lieber Kammermeiſter / Hector von Trautmansdorff / unſer F[illegible]auen der Keyſerin / den gefangenen Seyfried zu einer ehrung geſchencket; haben wir darauff / aus vergünnung der Keyſerin den gefangenen Seyfrieden mit leib und ſeiner Willkühr widerüm ledig geſprochen / doch in der geſtalt / daß hinführo Unſer getreuer lieber Kammermeiſter / Hector von Trautmansdorff / ſein Bruder / ihre Erben und alle ihre Nachkommen / vor Seyfrieden den Fraunberger / ſeine Erben und